



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

L
415



L. 415



Harvard College Library

FROM

By exchange.

9 Nov. 1895.

0 L. 415

**DE SOPHOCLE
A ROMANIS LIBERAE REI PUBLICAE
TEMPORUM TRAGICIS POETIS
ADHIBITO.**

**DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOSOPHICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE FRIDRICIANA HALENSI CUM
VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
UNA CUM THESISIBUS A SE PROPOSITIS
DIE III. MENSIS IULII MDCCCLXXXV
HORA XII.
PUBLICE DEFENDET
PAULUS GENSEL
SAXO.**

ADVERSARIJ ERUNT:
P. SCHWARZ, CAND. PHIL.
H. RAMMELT, CAND. PHIL.

**HALIS SAXONUM,
MDCCCLXXXV.
FORMIS KAEMERERIANIS.**

2.415

Harvard College Library
By Exchange.
9 Nov. 1895.

PARENTIBUS

SACRUM.

Exquirendum cum mihi proponerem, quibusnam fabulis poetae tragici Romani Sophoclis vestigia pressissent, non me effugit, quam lubricum quamque difficultatum plenum negotium susciperem. Quid enim? Vasta fragmentorum tenuium strues apud Romanos aequae atque apud Graecos — paucis fabulis exceptis — tragicos poetas ex tanta illa, quae fuit, tragoediarum abundantia ad nos pervenit, coacervata grammaticorum aliorumque opera, non quo cognosceretur, quale fuisset ingenium illorum poetarum quidve cuique dramatum deberemus, sed ut vel splendidae sententiae vel formae obsoletae vel alia eiusmodi laudarentur. Ex his igitur reliquiis enucleandum est primum, quid quaeque fabula Graeca et Romana, cuius memoria adhuc servatur, continuerit. Atque hoc quidem opus insignis virorum doctissimorum inprimis Welckeri¹⁾ et Ribbeckii²⁾ labor egregie sublevavit, qui in restituendis dramatum argumentis et in fragmentis suo loco inserendis summa sagacitate operam collocaverunt. Quo factum est, ut illo negotio plerumque supersedere et statim ab initio ad ipsum meum propositum aggredi possem. Sed quamvis adiutus tamen satis superque opprimebar difficultatum et multitudine et gravitate. Nam ut argumentum fabulae cuiusdam Romanae fixum et dilucide cognitum esset, cuiusnam poetae Graeci exemplo ductus auctor fabulam suam composuisset, quaestionis maxime arduae erat. Saepius enim res proposita tam bene

1) „Die griechischen Tragoedien mit Rücksicht auf den epischen Cyclus geordnet.“ Bonnæ 18²⁹/41 (Rh. Mus. Suppl. II.)

2) „Die römische Tragoedie im Zeitalter der Republik.“ Lips. 1875.

apta videbatur, quae tragoedia redderetur, ut complurium Graecorum studia allicerentur, velut *Oιδίππος* titulus apud novem poetas recurrit, qui quantum inter se discrepauerint quidve vel mutaverint vel novi inseruerint plane ignoramus. Porro quis est qui affirmet omnes de eadem materia diversorum poetarum fabulas nobis notas esse? Nonne eius ipsius tragoediae Graecae memoria evanuisse potest, quam Romanus imitatus est? Non igitur mirum, quod saepius id statuere coactus sum, quod re vera probabilitatis speciem non excedebat, neque crimini mihi quemquam daturum esse spero, quod haud an sit, ubi nimis temere suspicatus esse videar, quamvis caute difficultatumque providus agere studens.

Neque vero usque eo opus meum extendi ut complecterer, quidquid tragoediarum Romanarum in lucem editum est. Sed quoniam duo temporum spatia fuerunt, quibus Romae maxime floruerunt tragici poetae, prius sexto et septimo, posterius octavo et nono ab urbe condita saeculo, ad illud solum animum adverti. Nam primum cavendum erat, ne nimis amplum munus susciperem, deinde nequaquam aequis condicionibus utriusque spatii poetas dramata composuisse constat¹⁾, ut, si quis utrumque tractaturus sit, longe aliam de rei publicae liberae atque de Caesarum imperii poetis rationem instituere debeat. Atque ut illud potissimum spatium eligerem, monuit, quod Graeci cuiusdam tragici poetae apud Romanos vestigia quaerens certe non ab illo momento initium facere debebam, ubi tragoedia Romana longi temporis exercitatione et usu idonea facta erat, quae rebus aliunde haustis proprium quendam colorem indueret, sed ab illo, ubi non domesticis, sed solis Graecis exemplis niti poterat.

Sed ne illius quidem spatii omnes poetas sub examen vocare mihi licuit, quandoquidem nonnullorum memoria

1) cf. Lange. „Vindiciae tragoediae Romanae.“ Lips. 1822, ubi legitur pag. 17: „In antiquiore tragoedia rudior gravitas, in recentiore doctior elegantia, in numeris etiam conspicua, illa populo, haec eruditibus magis placuit, illa in theatris, haec in consessibus hominum politiorum frequentata.“

adeo tenuis est, ut non habeamus, quo freti certi aliquid de eis statuamus. Fuerunt autem hi:

Atilius,

de quo Cicero de fin. I, 2,5 scribit: „ut cum Sophocles vel optime scripserit Electram, tamen male conversam Atilii mihi legendam putem“;

Pompilius,

cf. Varro de l. l. VII, 93;

satt. Menn. frgm. v. 356/7 ed. Bücheleri;

C. Julius Caesar Strabo,

cf. Ascon. ad Cic. Scaur. or. pag. 24 ed. Or.; Valer. Max. III, 7,11;

C. Titius,

cf. Cic. Brut. 45,167;

Q. Tullius Cicero,

cf. schol. Bob. ad Cic. Arch. 2, pag. 354 ed. Or.;

qui Sophoclem praecipue admirabatur

cf. Cic. de fin. V, 1,3; ad Quint. fr. II, 16,3 etc. etc.;

C. Julius Caesar,

cf. Sueton. Caes. 56.

Santra, cuius 'Nuptiae Bacchi' a Nonio bis commemorantur (78,28; 104,17) num in hunc numerum recipiendus sit, nescimus. Restant igitur quinque poetae:

Livius Andronicus,

Cn. Naevius,

Q. Ennius,

M. Pacuvius,

L. Accius,

ad quos iam accedere mihi liceat.

Livius Andronicus.

Tragoediarum Livii, quem primum omnium fabulas Romae docuisse a compluribus scriptoribus traditum est¹⁾, novem titulos et perpauca fragmenta novimus.

1) cf. Cic. Brut. 18,72; Gell. Noct. Att. XVII, 21,42 etc.

Satis inculta sane neque cum posteriorum arte elegantiore comparanda erat eius Camena¹⁾. Neque mirum, cum neque Livius, ut erat Graecus natione, plane imbutus esset sermonis Romani scientia neque lingua Latina illis quidem temporibus expolitam Graecarum fabularum dictionem sua vi aequaret aut alii metro accommodata esset atque rudi illi Saturnio versui. Accedebat, quod usque ad illud tempus scenicae poeseos aliqua arte distinctae Romae vix semina iacta erant. Itaque fieri non poterat, quin Livius tantis difficultatibus impeditus satis superque sudaret, ut Graecas fabulas eas, quas sibi proposuerat, latinis versibus redderet; neque id eum egisse verisimile est, ut insertis additamentis aut ex aliis tragoediis aut ex suo ingenio depromptis argumenti materiem vel augeret vel mutaret.

Ne id quidem dubium mihi videtur, quin non iis, qui post Sophoclis et Euripidis mortem scenam Atticam illustrarunt²⁾, sed Euripidi potissimum operam navaverit. Ille enim poeta, cui adeo non faverant Athenienses aequales, ut non amplius quam quinquies victoris palma eum ornarent³⁾, posterioribus tantae erat admirationi, ut primus omnium tragicorum praedicaretur. Itaque cum Livius histrio et dominus gregis optimas certe, quae tum putabantur, tragoedias sibi eligeret, facere non poterat, quin in Euripidem imprimis incideret⁴⁾. Non igitur falleremur, si compluribus de eadem materia Graecis fabulis extantibus Euripidis tragoediam Livio attribuendam iudicabimus, dummodo ne certis quibusdam indiciis ab hac sententia avocemur.

Neque tamen credibile est eum prorsus abhorruisse ab aliorum tragicorum operibus, quae quidem etiamtunc cele-

1) cf. Cic. Brut. 18,71 verba: „Livianae fabulae non satis dignae, quae iterum legantur.“

2) Id enim sibi persuasit L. Müller („Livi Andronici et Cn. Naevi fabularum reliquiae“ Berol. 1885 pag. 39).

3) cf. Gell. Noct. Att. XVII, 4, 3.

4) Ladewig („Analecta scenica“ Gymn. Progr. Neostrel. 1848 pag. 7) causas complures conguessit, quibus idem commendaret, non modo de Livio, sed de omnibus prioris spatii tragicis Romanis. Cf. etiam Lange I, 1. p. 16.

brabantur. Nam Sophoclis quoque fabulas eum vertisse satis manifesto probari potest.

Quod ubi statuendum sit, iam videamus.

Ajax mastigophorus.

Aiacis mortem lugubrem, quam hac fabula propositam fuisse ex titulo elucet, tractaverunt hae Graecae tragoediae:

Aeschyli *Θρῆσαι*,

Sophoclis *Αἶας μαστιγοφόρος*,

Astydamantis minoris *Αἶας μαινόμενος*,

Carcini et Theodectis *Αἶας*.

Atque cum Aeschylus huc omnino non pertineat, quod Aiace[m] greges caedentem non induxit (cf. pag. 63), dubitatur de Sophocle et de recentioribus illis poetis. Sophoclem autem a Livio adhibitum esse et ipsa inscriptione (quamvis non a Sophocle profecta sit) et eo probabile traditur, quod haud credibile est Livium neglecto illo ad obscuriores tragicos descendisse.

Ex fragmentis nihil colligitur, nisi quod fr. II ¹⁾ „praestatur laus virtuti, sed multo ocus verno gelu tabescit“ et Sophocl. Ai. v. 1266/7:

*„φεῦ τοῦ θανόντος ὥς ταχεῖά τις βροτοῖς
χάρις διαρῇ καὶ προδοῦς ἀλίσκεται“*

plane eundem praebent sensum, ut alter locus ex altero derivatus esse possit.

Equus Troianus.

Accuratius de hac fabula agetur in Naevi Equo Troiano perlustrando (cf. pag. 31). Id tantum hoc loco affirmaverim, Livi tragoediam referendam videri ad Euripidis Epeum.

1) In citandis reliquiis sequat Ribbecki „Tragicorum Romanorum fragmenta“ Lips. 1871.

Hermiona.

Euripidis Andromacham Livio exemplo fuisse si quis dicat, per se haud inepte coniciat. In hac enim fabula invenimus paene non minoris momenti esse Hermionam odio accensam quam Andromacham inimicorum insidiis vexatam. Itaque non difficile erat ita mutare argumentum, ut non Andromacha, sed Hermiona iure inscriberetur fabula. Sed ne nimiam, cui par esse non poterat is, qui primus tragoediae Romanae auctor extitit, artem attribueremus Livii ingenio, antea monuimus. Huc accedit id, quod Ribbeck¹⁾ affert. Ex fragmento enim, quod unicum traditur, luculentum fit Anchialum a Livio inductum fuisse, quem Andromachae et Neoptolemi filium fuisse Hygini fabula 123 docet. Euripides contra Molossum Andromachae filium finxit eumque puerulum, cum apud Romanum poetam adultus esse videatur. Quare Livium aliud exemplum habuisse statuamus necesse fit.

Nullum autem eiusmodi dramatis auctorem novimus praeter Sophoclem. Itaque quamquam nimis confidenter fortasse dixit Welcker²⁾ fieri non posse quin Livius Sophocli se applicuerit, tamen verisimillimum esse statuemus Livium Sophoclis Hermiona usum esse.

Aegisthus.

Agamemnonis mortem tractari ex fragmentis cognoscitur, ut retineamur, ne similitudini, quae est inter fragmentum III. et Sophoclis Electrae versum 4 quicquam ponderis impertiamus. Sed nescio an ex alia Sophoclea fabula Livii Aegisthum deducere liceat. Sophoclem enim usurpasse formam ἀργύθμων Hesychius (1 pag. 293) testis est verbis his:

ἀργύθμων ἀσυμφώνων Σοφοκλῆς αἰγίσθω.

Quae lectio depravata a viris doctis diverse restituta est, Düntzer³⁾ autem cum Αἰγίσθω Musuro auctore legat,

1) l. l. pag. 31.

2) l. l. pag. 223.

3) „L. Livii Andronici fragmenta collecta et illustrata“ Diss. inaug. Berol. 1835, pag. 25.

argumentum sine dubio Agamemnonis caedem fuisse existimat, quod Aegisthi mortem Sophocles Electra depinxerat. Oblitus sane est etiam Atrei mortem ab Aegistho et Thyeste patratam perbene illo dramate proponi potuisse. Refutatur hoc quidem, dummodo *Θυέστης δεύτερος* bis ab Hesychio commemoratus segregandus sit a fabula ea, quae vocabatur *Θυέστης ἐν Σικυῶνι*; quo probato ambiguum vix est, quin Thyestes secundus Atrei caedem praebuerit.

Jam quandoquidem eadem quaestio de Thyeste fabulis Sophocleis denuo orietur, ubi de Accii Pelopidis verba faciemus (cf. pag. 111), operae pretium est exquirere, quid de illis statuendum sit. Atque Welcker¹⁾ quidem splendidissime et sagacissime contulit, quaecumque illos titulos ad diversa dramata referri vetant: Potuit dici *Θυέστης* Thyestes iterum in scenam productus, potuit etiam *Θυέστης ἐν Σικυῶνι* sic vocari, ut distingueretur ab Atreo²⁾, quem etiam *Θυέστην* inscribere licebat (neque defuerunt qui Atrei argumentum tractantes fabulam non Atrea, sed Thyestem appellarent). Id quoque difficultatem praebet, quod decies quater legitur inter fragmenta *Σοφοκλῆς Θυέστη* vel *Σοφοκλέους Θυέστη*, ut, siquidem duae fuerunt de Thyeste Sophoclis fabulae, dubitatio sit, ad utram fabulam referenda sint haec fragmenta. Addam locum Dionis Chrysostomi (66 vol. I, pag. 221, ed. Dind.), qui magni mihi esse videtur momenti. Sunt autem haec verba:

„Ὅτι μὲν γὰρ διὰ χρόνου πρόβατον ἀνάστατον συνέβη γενέσθαι τηλικαύτην οἰκίαν τὴν Πέλοπος οἱ τραγωδοὶ φασιν. καὶ κατεκόπη μὲν τὰ τοῦ Θυέστου τέκνα, καὶ Πηλοπίδα δὲ ὁ πατὴρ ἐμίχθη καὶ τὸν Αἰγισθὸν ἔσπειρεν· οὗτος δ' ἀπέκτεινε μὲν μετὰ τῆς Κλυταιμνήστρας τὸν Ἀγαμέμνονα, τὸν ποιμένα τῶν Ἀχαιῶν, καὶ κείνην Ὀρέστης ὁ υἱός, καὶ τοῦτο ποιήσας εὐθὺς ἐμαίνετο. τούτοις δὲ οὐκ ἄξιον ἀπιστεῖν, ἃ γέγραπται μὲν οὐχ ὑπὸ τῶν τεχνόντων ἀνδρῶν, Εὐριπίδου καὶ Σοφοκλέους, λέγεται δὲ ἐν μέσσοις τοῖς θεάτροις“

1) l. l. pag. 366.

2) Quid haec tragoedia continuerit, elucet e dissertatione ea, quam institui de Atreo Acciano (cf. pag. 108).

Videmus, quaecumque scelera Pelopis familia commiserit, accurate enumerari excepta misera Atrei morte; quam non crediderim Dionem omissurum fuisse, si apud Sophoclem aut Euripidim tractatam invenisset, sed tale quid scripturum fuisse:

*οὗτος δ' ἀπέκτεινε μετὰ μὲν τοῦ Θυέστου τὸν Ἀτρεά,
μετὰ δὲ τῆς Κλυταιμνήστρας τὸν Ἀγαμέμνονα, τὸν ποιμένα
τῶν Ἀχαιῶν . . .*

His omnibus de causis persuasum habeo a Sophocle ab-
iudicandum esse Thyestem Atreo interitum parantem atque
Θυέστην ἐν Σικυῶνι et *Θυέστην δεύτερον* duos eiusdem
dramatis titulos fuisse.

Haereremus igitur, quam materiem daremus *Αἰγίσθῳ*
fabulae, nisi ille locus Dionis, quo modo usi sumus, Atrei
mortem reiciendam esse doceret, ut re vera quod Duentzero
placuit argumentum hand abnuendum videatur. Tamen vero
debili admodum fundamento innitimur. Quid enim recte
restituisse Musurum litteras illas *αἰγιῶς* testatur? Docet
Dionis oratio fuisse aliquam inter Sophoclis aut Euripidis
fabulas, quae Agamemnonis mortem depingeret. Sed utrum
haec Sophoclea quaedam fuerit an Euripidea, utrum lateat
in litteris illis an titulus interierit, nescimus. Caveamus
igitur ne nimis festinanter ad Duentzeri sententiam acce-
damus¹⁾. Quo fit, ut ne illud quidem, quod incertum maneret,
etiamsi *Αἰγίσθῳ* recte emendatum esse evinceretur, affirmare
possimus, Livium Sophoclis fabulam expressisse.

Erotianus (Gl. Hippocr. pag. 45,13) Clytaemnestrae
Sophocleae verba nonnulla affert²⁾. Sed cum ambiguum
sit, utrum hausta sint ex Iphigenia an ex Clytaemnestra
quadam fabula³⁾, ne illuc quidem Livii tragoediam referre

1) Etiam Osann (Zeitschr. f. d. Altertumswiss. 1836, pag. 965)
maxime dubium esse dicit, quod Duentzer sibi persuaserit. Quae commen-
daverit, non abhorreere a probabilitate, neque vero satis certis testimoniis
stabiliri.

2) fragm. 311 Nauckii, cuius altera tragicorum Graecorum fragmen-
torum editione in citando usus sum.

3) cf. Welcker I, l. pag. 65, 108.

licet, id quod Duentzer ita proposuit, ut Clytaemnestram fabulam ab Aegistho diversam fuisse negaret.

Nihil igitur certi proferre possumus de Livii Aegistho¹⁾.

Danae.

Huc pertinere possunt:

Euripidis *Δανάη*

Sophoclis *Δανάη* et *Ἀργείος*.

Utrum auctorem Livius secutus sit pro certo affirmari nequit, cum ex fragmento illo, quod solum traditum est, nihil colligi possit. Sin ea, quae pag. 8 exposuimus, respicimus, verisimilius est poetam Romanum Euripide usum esse quam Sophocle.

Andromeda.

In hac fabula componenda Livium non Sophoclis, sed Euripidis vestigia secutum esse affirmo²⁾. Nam praeterquam quod Euripidem praetulisse credendus est, Andromeda Euripidis clarissima fuit omnium earum fabularum, quae Andromedae fata continebant. Id vel inde cognoscitur, quod permulta eius fragmenta extant — Nauckio auctore quadraginta tria —, cum de Sophoclis fabula undecim tantum laudentur, e quibus septem non amplius unum vel duo verba complectuntur³⁾.

Tereus.

Welcker⁴⁾ hanc fabulam comoediam fuisse coniecit ductus fragmento IV; quod corruptum sic legi vult:

„credito,
cum illa, soror, mea voluntate numquam limavi caput.“

1) Klussmann („Livi Andronici dramatum reliquiae“ Gymn. Progr. Rudolst. 1849 pag. 5) ad deperditam quandam Euripidis fabulam mentem advocavit.

2) cf. Ribbeck l. l. pag. 163, Annot. 169.

3) cf. etiam C. Robert „Maskengruppen“ in Arch. Ztg. XXXVI (1878) pag. 16.

4) l. l. pag. 387.

Sed etiamsi haec lectio accipienda sit, id quod vix pro certo affirmare ausim, equidem mihi persuadere non possum verba non ad tragoediam, sed tantummodo ad comoediam accommodata esse¹⁾. Contra haud abnuerim Ribbeckii opinionem²⁾ suo iure proferri. Ille enim fragmenti primi verba:

„rarenter venio“

Laethusae impertienda suspicatus est. Atque re vera vix alius quisquam sic loqui poterat atque Procnæ amica, quae, ut erat coniunx Lyncei regis, procul a Terei regis domo vitam degebat neque saepius Procnæ amicam convenire poterat. Quod si statuimus, Livius Hygini fabulae 45 argumentum tractavit, quo Philomelam non lingua privatam, sed ad Lynceum regem missam esse narratur. Sophocles vero illam alteram fabulae formam, quae accurate legitur apud Ovidium (Met. VI, 412—674), arripuit. Apparet enim ex Aristotelis (περὶ ποιητικῆς c. 16) verbis:

„ἐν τῇ Σοφοκλέους Τηρεΐ ἡ τῆς κερκίδος γωνή“

apud Sophoclem Philomelam lingua erepta sorori vestem, misisse, in qua Terei facinora intexuerat. Ergo Livius Sophoclis Tereo usus non est.

De ceteris titulis Livianis, qui sunt:

Achilles³⁾ et Ino,

nihil proferre possumus. Atque de Teucro, quem Varro (de l. l. VII, 3) memorat, ne id quidem dicere licet, quomodo fabula illa, in qua agens inductus est, inscripta fuerit.

Cn. Naevius.

Aliud atque de Livii fabulis iudicium feremus de Cn. Naevii musa. Nam si non eius ingenio, quo utrum Livio

1) Refutare conatus est Welckeri sententiam Ladewig l. l. pag. 12, cum diceret non diversum fuisse Livi temporibus tragicum sermonem a comico.

2) l. l. pag. 39.

3) Klussmann l. l. pag. 4 postquam commemoravit Osanni, Welckeri, aliorum calculum, iure in eo acquiescendum esse affirmat, ut in dubio relinquamus, cui exemplari Graeco Livius se applicuerit.

praestiterit necne haud scio an dubitari possit, attamen compluribus rebus adiuvantibus effectum est, ut facile Livii incondita opera superaret. Primum enim non externa de gente oriundus erat, sed Latina, ut linguae impedimentis non premeretur, deinde non inopia et egentia vitae dramata componere cogeatur, sed ingenio, tum non primus ad tragoediam Romanam excudendam aggressus est, sed invenit, quem imitandum vel corrigendum sibi sumeret. Quae cum ita sint, mirum non est, quod Romana ars poetica Naevio duce egregium in modum aucta et amplificata est. Neque desunt certa testimonia, quibus quid novaverit docemur. Graecorum enim exemplis relictis suo ipsius ingenio fretus novas quasdam res numquam antea tractatas suis proponere ausus est, cum fabulis praetextatis atque epico carmine et Romanae gentis auctorem et suorum temporum res gestas laudibus cumaret. Porro in eis operibus, quibus ea, quae apud Graecos invenerat, latine reddebat, multo liberius neque Graecorum exemplorum imitationi nimium serviens egit¹⁾. Cuius rei testimonia quamquam non de tragoediis eius extant, tamen complura sarta sunt de eius comoediis:

Ex Terentii enim prol. Andr. vv. 15 sqq. apparet Naevium saepius nimis exilia esse ratum argumenta Graecarum fabularum earum, quas latine reddere in animo habebat, complura ita inter se contexuisse, ut unum efficeretur, ex Gellii autem Noct. Att. III, 3, 15 eum antiquae Atheniensis comoediae more suorum temporum vitia et viros illustrissimos castigasse certiores fimus.

Stultum igitur sit non eandem ei tribuere licentiam in tragoediis componendis, etiamsi non eodem studio in hoc fabularum genere versatus esse videtur atque in illo. Comoediarum enim, quas scripsit, titulos novimus plus quam triginta, tragoediarum non amplius quam septem. Quae quem Graecum auctorem habuerint, si quaerimus, non abnuendum videtur Lycurgum fluxisse ex Aeschylo, quamquam

1) Similiter indicat G. Regel („diversa virorum doctorum de re tragica Romana iudicia sub examen vocata.“ Gott. 1884, pag. 40).

non defuerunt, qui aliam sententiam proferrent. Duentzer¹⁾ enim Naevium non Aeschylo, sed Anaxandridae operam dedisse iudicat, L. Mueller²⁾ vero et Ribbeck³⁾, rem incertam esse autumant. Ad Euripidem referam Iphigeniam, eodem fortasse etiam Andromacham⁴⁾, cum verba inde a Servio (ad Verg. Georg. I, 266) allata:

„quod tu, mi gnate, quaeso, ut in pectus tuum
demittas, tamquam in fiscinam vindemitor“

a matre i. e. Andromacha puero sc. Molosso dicta videantur. Unde hauserit Naevius fabulas eas, quae inscribuntur

Hesiona et Hector proficiscens

ignotum est, nisi Hectorem proficiscentem Astydamanti tribuere volumus. Restant igitur duae tantum tragoediae:

Danae et Equus Troianus

quos titulos etiam inter Livianos repperimus.

Equus Troianus.

Est locus Plauti Bacchidum (vv. 925 sqq.), ubi Chrysalus facete dictis alludit ad Troiae expugnationem, tam accurate vel ad res minus notas recurrens, ut perspicuum sit id, quod Plautus iocose exponit, Romae tum pervulgatum fuisse omniumque animis haesisse⁵⁾. Non igitur Kiesslingium⁶⁾ sequar, qui totum hunc locum originem duxisse putat ex Menandro, cuius *δὴς ἐξανατῶν* Bacchidibus subest, sed Welckerum⁷⁾, qui non iniucunde suspicatus est non ita multo ante in theatro Troiae expugnationem exhibitam fuisse sc. a Livio aut a Naevio, qui uterque hoc argumentum

1) Rh. Mus. V (1837), pg. 433 sqq.

2) l. l. pag. 50.

3) l. l. pag. 57.

4) nisi forte Novio haec fabula tribuenda est.

5) cf. etiam Plauti Pseudolum v. 1244.

6) cf. „Analecta Plautina“ Ind. schol. Gryphisw. sem. aest. 1878, pag. 14.

7) l. l. pag. 523.

Romanis Equo Troiano proposuerunt¹⁾. Utriusque autem tragoedia tum nota erat, quoniam Livius et Naevius anno 189, quo actae videntur Bacchides, complures iam annos ex vita decesserant. Duabus vero de eadem materia fabulis compositis antiquiorem et rudiorum Plautum sibi elegisse nego, sed Naevii ab eo respectam esse affirmaverim²⁾.

Neque verisimile videtur Plautum praeter unam illam fabulam Naevianam alia quoque respexisse, quae non inerant in exemplo iocose tractato³⁾, sed, quoniam id ipsum vere risum movet, si quis poeta comicus facete monstrat rem propositam cum nota alia, quae est longe alieni generis, mirum in modum consentire, quidquid a Chrysalo comparandi causa profertur, Plautum ex Naevio hausisse credo, sive apud hunc coram agebatur, sive a personis dramatis narrabatur. Nam utrum omnes personae, quarum Chrysalus mentionem facit - sunt autem Epeus, Sino, Agamemno, Menelaus, Alexander, Helena —, a Naevio agentes inductae fuerint necne, enucleari nequit.

Id autem ex toto sensus conexu elucere videtur versum 935:

„o Troia, o patria, o Pergamum, o Priame, periisti
senex“

ex ipso Naevio translatum esse. Ribbeck⁴⁾ haec verba Cassandrae attribuit, quae cum frustra cives imploraverit, ne equum ligneum intra muros introducerent, futuri praescia exitium instans doleat. Utut res se habet, id inde manifestum fit, iam Troianos constitutum habuisse equum in urbe recipere.

1) Omnino statuendum videtur comicos poetas Romanos, ubi alludunt ad res tragicas, respicere non Graecos auctores, sed Latinos, quorum opera civibus res illae innotuerant; cf. Ladewig l. l. pag. 11 sqq., ubi compluribus de hac re agit.

2) Non exigui fortasse momenti est, quod Plautus cum Naevio amicitia coniunctus fuisse putandus est (cf. Plant. Mil. glor. v. 211).

3) Id enim sibi persuasit Ribbeck l. l. pag. 48.

4) l. l. pag. 48.

Expugnationem ipsam indicant verba a Macrobio (Sat. VI, 1,38) tradita:

„numquam hodie effugies quin mea moriaris manu“, quibus Menelaum in Helenam invectum esse Ribbeck putat, quamquam ipse etiam de Neoptolemo Priamum persequente cogitari posse fatetur. Illud certe ex fragmento laudato cognoscitur errasse Welckerum¹⁾, cum Equi Troiani finem factum esse crederet, ubi equus ligneus exstructus esset. Ipse autem etiam expugnationem tractatam videri concedit non nostro, sed Ciceronis quodam loco adductus (epist. ad fam. VII, 1, 2), ubi legitur:

„apparatus enim spectatio tollebat omnem hilaritatem, quo quidem apparatu non dubito, quin animo aequissimo carueris. Quid enim delectationis habent sexcenti muli in Clytaemnestra? aut in Equo Troiano craterarum tria milia?“

Naevii certe Equum Troianum commemorat Cicero; nam Ciceronis temporibus Livium pluris factum esse Naevio incredibile est neque Ciceronis verba (Brut. 18,71):

„Livianae fabulae non satis dignae quae iterum legantur“

ullas etiamtunc Livii fabulas in theatro celebratas esse probabile reddunt.

Eisdem de causis ad Naevii Equum Troianum pertinere existimandum est id, quod Cicero in epp. ad fam. VII, 16, 1 profert:

„in Equo Troiano scis esse in extremo:

‘sero sapiunt Phryges.’“

Eodem spectare consentaneum est Festum, qui s. v. ‘serum scripsit:

„sero sapiunt Phryges, proverbium est natum a Troianis, qui decimo denique anno velle coeperant Helenam quaeque cum ea erant rapta reddere Achivis.“

Itaque in Naeviana fabula decimo belli anno Troiani cum Achivis pacisci volebant. Id autem factum esse, antequam

1) l. l. pag. 526.

equus extrueretur, facile demonstratur. Nam si Troianorum condicionibus superbe reiectis Graeci statim castris relictis reditum finxissent, fieri non potuit, quin Troiani tantae rerum mutationi diffusi sibi insidias strui suspicarentur. Ne id quidem verisimile est legatos ipsos initio dramatis agentes inductos esse iisque repulsis statim fatalem dolum institutum.

Non exigui tamen momenti in fabula nostra fuisse Troianorum promissa monet, quod in extremo i. e. gravissimo loco eorum memoria renovatur.

Haec omnia, quae exposuimus, si revolvimus, hic fuisse videtur fabulae progressus: Achaeorum duces perpetuis acceptis cladibus territi diurnitateque temporis defatigati ad concilium conveniunt. Queruntur miserrime, quod amentia occaecati aequas Troianorum condiciones aspernati sint et infecta re domum redituros se esse spondent. Ulixes vero Minervae praeceptis incitatus obstat, ne consilium turpe perficiant: ne animis deficiant, tria illa fata, quae Troiae exitio sint (cf. Plaut. Bacch. vv. 952 sqq.), expleta esse, novum se scire dolum (cf. Plauti Bacch. v. 940), quo quin hostium urbem eversuri sint dubium non sit. Exposito hoc consilio omnes assentiuntur, Epeique auxilio artificioso moles ingens equi lignei instruitur. Quam postquam in litore collocaverunt, Graeci fugam clandestinam simulant, Troiani equum in urbem trahunt. Noctu vero Sino ab Achillis busto (cf. Plaut. Bacch. v. 937) signum dat, quo viso Graeci Tenedo redeunt urbemque expugnant. Exitu autem fabulae Ulixes aut alius quidam, respiciens, quid acciderit, exclamat:

„sero sapiunt Phryges.“

Quod autem fuit Graecum huius fabulae exemplum? Ex Graecis titulis, qui quidem nobis manserunt, huc quadrant:

Sophoclis *Σίνων*

et Euripidis *Ἐπειός*.

Welcker¹⁾ Naevium Epeum Euripideum expressisse ex-

1) l. l. pag. 525 et 157.

istimat, cuius solus titulus Monumento Albano servatus est. Quale fuerit huius dramatis argumentum ex Romana tragoedia concludere conatur. Sed reiecta Welckeri de fine Equi Troiani sententia (cf. pag. 18), etiam haec de Epeo prolata obruitur. Nam quamquam Vergilius in Aen. II, 264 et Lucianus in Hipp. 2 testantur Epeum quoque in equi lignei alvo inclusum fuisse, tamen non ita clarus extitit in ipsa expugnatione, quam satis magnam fabulae Romanae partem complexam esse cognovimus, ut eius nomine tragoedia ea inscriberetur, quae Troiae interitum contineret. Neque si colliguntur, quaecumque de Epeo tradita sunt, quicquam invenitur, quod iustam dramatis materiam praebeat, praeterquam quod equi lignei exstructor fuit. Hoc igitur quoquo modo redactum argumentum Epei statuamus necesse est.

Vix plura quam de Euripidis Epeo servata sunt de Sophoclis Sinone, unde tria tantum verba ad nos pervenerunt. Sed quid haec fabula complexa sit, perspicuum est veterum narratiunculis¹⁾: Agitur de fraude Sinonis, qua Troiani de equo ligneo decipiuntur, ut Graecis tandem aliquando hostium urbs patefiat. Jam si, quem fabulae progressum attribuimus Naevii Equo Troiano, cum Graecis Epeo et Sinone tragoediis comparamus, elucet priorem partem idem continere atque Euripidis Epeum, posteriorem idem atque Sophoclis Sinonem, praesertim cum ex Plauti Bacchidum versu 938 doceri videamur Sinonis personam a Naevio aliquantum argueri. Meminerimus porro Romanae fabulae argumento usitatam Graecorum dramatum amplitudinem superari, teneamus id, quod antea exposuimus et de Graecis auctoribus, quorum tragoediis Naevius operam navasse videretur, et de contaminatione, quae vocatur, a poeta nostro primo adhibita, addamus Diomedis (in Keilii Gr. Lat. vol. I, pag. 491) locum hunc:

„at latini scriptores complures personas in fabulas introduxere, ut speciosiores frequentia facerent“,

1) Legas exempli causa Verg. Aeneid. II, 57—198; 259.

unde poetas Romanos simplicitate Graecorum relicta compositionem uberiores et splendidiorem instituisse cognoscimus¹⁾, iam concedemus, credo, Naevium Sophoclis et Euripidis tragoedias in unam contraxisse videri.

A Livio contra tale quid abiudicandum esse suo loco monuimus. Fragmentum autem ex eius Equo Troiano a Nonio (475,10) traditum:

„da mihi hasce opes,
quas peto, quas precor:
porrige, opitula!“

a Ribbeckio²⁾ refertur ad Cassandram, quae Apollini supplicet, ut sibi facultatem det Troianos equum in urbem trahere molientes ab hoc funesto consilio avocandi. Quis autem est, qui neget exempli causa etiam Epeum sic precari potuisse, priusquam ad equum exstruendum aggredere-
tur, vel Agamemnonem Minervae auxilium implorantem, ut Troia tandem aliquando potiretur³⁾, vel Sinonem praesidium a Priamo petentem⁴⁾?

Ambiguum igitur est utrum Sophoclis Sino an Euripidis Epeus a Livio adhibita sit. Sed quamquam certum iudicium ferre vetamur, memores nostrae de Euripide Livi auctore opinionis hanc tragoediam Euripidi vindicare malumus⁵⁾.

1) cf. Bergk („Kleine philologische Schriften“. Hal. 1884/6. I, pag. 225 sq.)

2) l. l. pag. 27.

3) Hoc placuit L. Muellero l. l. pag. 41.

4) Sic Klussmann: („Cn. Naevii poetae Romani vitam descripsit, carminum reliquias collegit, poesis rationem exposuit“. Jenae 1843, pag. 103).

5) Lallier in „Mélanges Graux“. Par. 1884, pag. 103 sqq., postquam commemoravit Ribbeckio (cf. l. l. pag. 26 sqq.) videri Sophoclis Sinonem a Livio adhibitum esse Livium recentioris cuiusdam poetae, qui Sophocle usus esset, fabulae se adiunxisse contendit.

Danae.

Reliquiarum numerus etsi maior est quam de Danae Liviana, tamen ne ex eis quidem quicquam de auctore Graeco enucleare licet. Crediderim vero Naevium quoque Euripidem Sophocli praetulisse. Nam etiam Ennius, qui haud ita paucis annis post tragoedias componere coepit, Euripidis praecipue fabulas secutus est, neque ante Pacuvium et Accium Sophocles tanti aestimatus est, quanti dignus erat¹⁾.

Qu. Ennius.

Glossarum Salomonis verbis:

„tragoedias Ennius fere omnes ex Graecis transtulit, plurimas ex Euripideis, nonnullas Aristarcheis“ docemur Euripidis maxime vestigia Ennium pressisse, idque testantur:

de Medea exule: Cic. de fin. I, 2, 4

de Hecuba: Gell. Noct. Att. XI, 4, 3

de Alexandro: Varro de l. l. VII, 82

de Andromacha: Varro de l. l. VII, 82.

Idem fragmentorum inter se comparatione probatur:

de Telepho et de Melanippa,

verisimillimum fit:

de Medea Atheniensi,

cui Euripidis Aegeus subesse videtur,

de Erechtheo, de Phoenice.

Nam neque aliorum de eisdem rebus dramata nobis nota sunt, ut si non sola, tamen clarissima de sua quodque materia fuisse videantur, et Euripidi praeter ceteros favisse Ennium vidimus.

De Thyeste autem, cuius fabula iterum atque iterum a Graecis tractata est, dubitare licet; Alcumeo vero idem

1) Euripidis fabulam proponit etiam Klussmann l. l. pag. 94.

argumentum habuisse credendus est atque Euripidis *Ἀλκμέων διὰ Ψωφίδος*¹⁾, ut Salomonis glossarum testimonio nixus Euripidem adhibitum esse existimem, non Theodectem, cuius fuit *Ἀλκμέων* eiusdem argumenti fabula.

Neque minus quam de Euripidis de Aristarchi fabulis ab Ennio versis testimonia extant, cum bis eius Achilles „Aristarchi“ commemoretur.

Ex reliquarum Ennii tragoediarum numero certi aliquid proferri potest de Eumenidibus, quae ex Aeschylo haustae sunt. Nihil omnino cognitum habemus de Achille altero, de Nemea, de Cresphonte, nisi quod Euripidis fabula, quae Cresphontes inscripta erat, Ennio proposita non erat, si modo recte iudicavit Ribbeck²⁾.

Restant igitur, quas perscrutemur, hae fabulae:

Iphigenia, Hectoris lutra, Ajax, Telamo, Andromeda, Athamas.

Iphigenia.

Huius fabulae Graecum exemplar Euripidis Iphigeniam fuisse et ex fragmentis elucet et ab omnibus viris doctis comprobatur³⁾. Verum enimvero sunt, quae adeo dissimilia videantur fabulae Euripideae, ut Bergk⁴⁾ sibi persuaserit Ennium praeter Euripidis aliam quoque Graecam tragoediam adhibuisse eamque Sophocleam. Haec enim loca ex Sophocle fluxisse contendit:

1) cf. Cic. Acad. prior. II, 28, 89 verba:

„cum virginis fidem imploraret“

i. e. Arsinoae vel Alpheisiboeae.

2) l. l. pag. 187 sqq. Ladewig contra l. l. pag. 5. Cresphontem Euripidis conversum videri affirmat.

3) Velut a Duentzero (M. Rhen. V (1837) pag. 442 sqq.); a Welckero l. l. pag. 100; a Bergkio l. l. pag. 226 sqq.; a Ribbeckio l. l. pag. 94 sqq.

4) In Commentatione de fragmentis Sophoclis, Lips. 1838, pag. 15 et in „Kleine philol. Schriften“ I pag. 229 sqq.

1) fr. VIII Achillis verba continens:

„Astrologorum signa in caelo quaesit, observat,
Jovis
cum capra aut nepa aut exoritur momen aliquod
beluae.
Quod est ante pedes noenu spectant: caeli scrutantur
plagas“.

Sed cum neque Sophocleae fabulae reliquiae quicquam praebeant, quod cum Ennii verbis comparetur, et apud Euripidem Achilles non minus vehementer maledicat cum vatibus tum Calchanti (cf. vv. 955 sqq.), quam nostro loco Enniano hoc genus carpitur¹⁾, non est cur Euripidis exemplum hic reiciamus.

2) fr. XI:

„quae nunc abs te viduae et vastae virgines sunt“. Cuiusnam sint haec verba, haeremus; Bergk fuisse ea ex Clytaemnestrae et Agamemnonis sermone ratus tale quid apud Euripidem inveniri negat. Sed re vera sententia non ita dissimilis profertur in Iphigeniae monodia:

vv. 1334 sq.: *μεγάλα πάθηα, μεγάλα δ' ἄχρεα*
Δαναΐδαις τιθεῖσα Τυνδαρίς κόρα.

Nihil igitur his duobus locis evincitur nisi Ennium non ad verbum reddidisse Graecam fabulam.

3) Plus difficultatis movent verba:

„iam domum itionem reges Atridae parant“²⁾, quibus quid responderit in Euripidis fabula non intelligitur. Sed adeo non constat, num fragmentum illud ad Ennium eiusque Iphigeniam referendum sit, ut ne hoc quidem loco Bergkio quicquam offeratur, quo sententiam suam fulciat, etiamsi non

1) Quod quamquam ne Bergkium quidem effugit, tamen retineri non potuit, quin nullis causis additis contenderet: „verum totum hunc locum de Sophocle transtulisse videtur Ennius.“ Cf. etiam Vahlen (Ind. lect. Berol. sem. aest. 1878, pag. 5), qui hoc fragmentum emendare studens apud Ennium pertenuē vestigium agnosci fatetur eorum verborum, quibus Euripides Achillem facit invehentem in Calchantem.

2) Leguntur apud Ribbeckium inter incertas fabulas loco XIII.

assentimur L. Müllero¹⁾, qui versum illum ab ipso Cornificio, cui debetur (III, 21, 34), confictum esse existimat. Sed nondum eo venimus, ubi Bergk firmissimum auxilium collocavit, ad chorici, dico, carminis versus a Gellio (Noct. Att. XIX, 10,12) nobis servatos (cf. fr. III). Quos a militum choro proferri manifestum est, quoniam verba chori eius, qui nimis diu se in portu retineri et neque domi neque in bello esse queritur, militum pugnam cupientium, non virginum propria sunt, quae in Euripidis Iphigenia chori locum obtinent. Longe igitur cum aberraverit Ennius ab Euripide, quaeritur, utrum ipsius ingenio ductus mutaverit, quod sic populo Romano magis placitum se esse speraret, an alterius Graeci poetae umeris nixus. Hoc autem accipiendum esse credidit Bergk, qui versum ex Sophoclis Iphigenia Aulidensi traditum (fr. 287):

„τίκτει γὰρ οὐδὲν ἑσθλὸν εἰκαία σχολή“

coniunctum cum alio versu iuxta hunc a Stobaeo (Flor. 30,6) allato (fr. 527):

„θεὸς δὲ τοῖς ἀργοῦσιν οὐ παρίσταται“

militum chori et nostri loci fontem fuisse sibi persuasit. Sed neque loci Sophoclei iambi choricum canticum redolent neque verba ipsa eiusmodi sunt, ut iure militibus vindicentur. Recte contra Ribbeck²⁾ exponit versum:

„τίκτει γὰρ οὐδὲν ἑσθλὸν εἰκαία σχολή“

— nam alterum illum versum:

„θεὸς δὲ τοῖς ἀργοῦσιν οὐ παρίσταται“

a priore seiungendum esse iam pridem cognitum est —, qui timendum esse demonstrat, ne quid mali otio diuturno exoriatur, ducis cuiusdam fuisse videri. Itaque ne his quidem versibus Ennium non modo Euripidis, sed etiam Sophoclis rationem habuisse docemur. Quin hi quoque versus chorici ex Euripidis Iphigenia Aulidensi originem duxisse possunt. Ibi enim vv. 814 sqq. Achilles idem de

1) In libro eo, qui inscribitur „Q. Ennii carminum reliquae“. Petrop. 1885, pag. 142.

2) 1. 1. pag. 95.

Myrmidonum animis nuntiat, quod apud Ennium milites de semet ipsi testantur¹⁾. Iam quoniam etiam e Graecorum tragicorum poetarum more erat ut duos choros introducerent, quorum alter totum per drama ageret, alter uno loco, velut in Aeschylī Eumenidibus (vv. 1032 sqq.), in Euripidis Hippolyto (vv. 61 sqq.), alias, Ennius, cum sibi persuasisset bene accommodatum esse Romanorum animis et moribus, si qui milites bellum sitientes in scenam prodirent, illo loco Euripideo usus esse videtur, ut non aliam quandam personam referentem, sed milites ipsos exponentes fingeret, quid sentirent²⁾. Itaque non est, cur aut Bergkio assentiamur aut Ribbeckio, qui Ennium et Euripidis et alterius poetae Graeci fabulam imitandam sibi proposuisse affirmat³⁾. Nempe Ennius non verba, sed vim Graeci exempli transtulit⁴⁾ neque sic ut Livius servili quodam modo Graeca dramata vertit, sed Naevii vestigia secutus, si quid melius magisque respondens Romanorum ingeniis repperisse sibi videbatur, vel mutavit vel correxit.

Hectoris lutra.

Fragmenta docent Ennium ea reddidisse, quae apud Homerum circumscribuntur Patroclo in pugnam fatalem proficiscente et Priamo Hectoris corpus redimente. Hanc materiem amplam Aeschylus tribus tragoediis inclusit

1) cf. Ribbeck l. l. pag. 96.;

Vitelli ed. Iph. Aulid. Eur. Flor. 1878, ad. v. 815.

2) O. Jahn, ubi de choro Romanae tragoediae egit (in Herm. II, 288 sqq.), contendere videtur omisso virginum choro Ennium solis militibus chori partes dedisse. Neque vero eo progrediamur necesse est, sed verisimilius esse credo Graecarum consuetudine servata uno loco, quo melius exercitus studia depingerentur, milites, ceteris virgines chorica cantica suscepisse.

3) l. l. pag. 94 sqq.

4) cf. Cic. Acad. I, 3,10: „Quid enim causae est, cur poetas Latinos Graecis litteris eruditi legant, philosophos non legant? An quia delectat Ennius, Pacuvius, Accius, multi alii, qui non verba, sed vim Graecorum expresserunt poetarum?“

(fuerunt autem *Μυρμιδόνες, Νηρηῆδες, Φρύγες ἡ Ἐκτορος λύτρα*), quas trilogiae more compositas fuisse manifestum est¹⁾. Cum extremae fabulae argumento consentiunt Sophoclis *Φρύγες*.

Welckero²⁾ auctore G. Hermann³⁾ Ennianae fabulae Sophoclis fabulam exemplum Graecum vindicavit sic ratiocinatus: 'Ennianae tragoediae reliquiae docent Hectorem non iam periisse, sed graviter instare Achivis (cf. imprimis fr. II). Id autem alienum est ab Aeschyli Phrygibus, quoniam Hectoris mortem iam Nereidibus, antecedente trilogiae fabula, propositam fuisse apparet. Ergo non Aeschyli, sed Sophoclis fabulam Ennius sibi vertendam sumpsit'. Ipse autem Welcker⁴⁾ fieri potuisse negat, ut Sophocles omnia illa Enniana una fabula exprimeret. Ne igitur Sophoclem Ennii auctorem reicere cogatur, quaecumque fragmenta Hectorem nondum occisum demonstrare videntur, inserenda esse dicit in Achillis oratione, qui recuset, quominus Priamo petenti Hectoris corpus tradat, quod ille vir tot tantisque detrimentis Achivos obruerit.

Quam sententiam si examinamus, e Sophoclei dramatis reliquiis nihil lucramur. Verum tamen habemus, quo Welcker luculentissime refutatur, Ennii fragmentum secundum:

„Hector vi summa armatos educit foras
castrisque castra iam ultro conferre occupat.“

Quis enim est qui sibi persuadeat talibus verbis Achillem usum esse, ut ad res peractas provocaret, quarum memor a se non impetraret, ut inimicissimi corpus sepeliendum redderet? Quid sibi vult illa praesentis temporis forma 'ducit', quid illud 'iam'? Equidem verba non Achillis, sed nuntii cuiusdam fuisse crediderim, qui Hectoris et Troianorum impetu rem in summum discrimen venisse doceret.

1) cf. G. Welcker „Die Aeschyleische Trilogie Prometheus“ Darmst. 1824, pag. 415 sqq. Comprobavit Welckeri sententiam N. Wecklein „Über eine Trilogie des Aeschylus und über die Trilogie überhaupt“ Sitzungsber. d. philos., philol., und hist. Klasse d. bayr. Acad. d. Wiss. 1891, pag. 327 sqq.

2) „Die Aeschyl. Trag. etc.“ pag. 428.

3) „Opuscula“ V, 156 sqq.

4) „Griech. Trag. etc.“ pag. 136.

Itaque illud quidem Welckeri amplector, quod Sophoclis Phryges vix plura continuisse affirmat, quam Aeschyli, alterum de Achillis oratione reicio. Atque cum Sophocles hanc unam fabulam de Iliade hausisse videatur, Aeschylus contra totum Ennianae tragoediae argumentum uno tenore, ut omnia plane inter se cohaererent, praebuerit, equidem non dubitaverim, quin Ennius non Sophoclis Phryges coniunctos cum alia vel aliis tragoediis expresserit, sed Aeschyli trilogiam in unam fabulam contraxerit¹⁾.

Hoc non abnuendum esse monet etiam Terentii locus, cuius supra mentionem fecimus (cf. pag. 15), monent Diomedis de Romana fabulas componendi ratione verba (cf. pag. 20), quibus non modo de personarum numero apud tragicos Romanos aucto certiores fimus, sed etiam de argumenti magnitudine amplificata suspicari iubemur.

Ajax.

Idem complexam esse hanc fabulam atque Livii Aiace mastigophorum perspicuum est. Sed cum non plura quam duo nobis manserint fragmenta intellegi nequit, quemnam Ennius secutus sit. Verisimilius sane titulo fit Sophoclem quam Aeschylum auctorem fuisse, praesertim cum haud inepte coniectum videatur Ennium hac tragoedia aemulum antiquioris poetae exsistere voluisse, xequae vero pro certo hoc affirmari potest²⁾. Accedit quod non improbabile est Ennium, ut Aristarchi, ita etiam aliorum minus nobilium tragicorum Graecorum rationem habuisse, ut nesciamus an Aiace componens potius hunc vel illum eorum poetarum Graecorum respexerit, qui praeter Sophoclem et Aeschylum

1) Ribbeck l. l. pag. 126 sq. et N. Wecklein l. l. pag. 337 idem suspicati sunt nec minus A. Schoell „Beiträge zur Kenntnis der tragischen Poesie der Griechen“ Berol. 1839, pag. 472 sqq.

2) Fr. II et Soph. Ai. vv. 1411 sqq. quamquam similem sensum exhibent, testimonii loco afferre vetamur, quod Sophocleae fabulae verba interpolationis suspicione non carent, cf. Schneidewin-Nauck ed. Ai. Soph. vv. l. l.

Aiacis fatum celeberrimum in tragoediae formam redegerunt (cf. pag. 9).

Illa autem suspicio a Ribbeckio¹⁾ prolata, qua Quintiliani (IV, 2, 13) verba:

„ut in tragoediis, cum Teucer Ulixen reum
facit Aiacis occisi“ e. q. s.²⁾

ad Ennii Aiace[m] rettulit, num quid habeat probabilitatis, diiudicare non ausim.

Telamo.

Hic titulus quamquam inter Graecarum tragoediarum nomina nobis nota nusquam legitur, tamen argumentum ei titulo conveniens cum a compluribus aliis tum a Sophocle tractatum est. Scripsit enim hic Teucrum, de quo tria fragmenta novimus:

fr. 519: pater de Aiacis morte queritur;

fr. 520: tempestas describitur, qua Teucer rediens
vexatur;

fr. 521: *Κυχηῖος πάγος* Salaminius commemoratur.

Accuratius vero praesagii ritu Teucrum ipsum de reditu suo verba facientem inducit Sophocles in Aiace (vv. 1008—1020). Quod vaticinium in Teucro perfectum occurrisse manifestum est.

Habemus igitur complura iudicia, quibus de argumento Teucris Sophoclei certiores fimus. Teucris autem reditus etiam Telamoni Enniano suberat³⁾. Neque tamen evinci potest Ennium Sophocleae fabulae se applicuisse. Quin etiam sunt quae hoc negandum comprobare videantur. Obstat titulus mutatus — id autem difficultatem non ita magnam Praebet, cum patris gravis et severi plus rationis habere^e moribus Romanorum fuerit, ut permultis exemplis docemur.

1) l. l. pag. 375.

2) cf. etiam Corn. ad Herenn. I, 11, 18; 17, 27; II, 19, 28; Cic. de invent. I, 8, 11; 50, 92.

3) cf. Vahlen „Über einige Bruchstücke des Ennius“ Sitzungsber. d. Berl. Acad. d. Wiss. 1886, pag. 33.

Obstat fragmentum primum, quod Epicuri doctrinam sapiens repugnat eiusdem Telamonis verbis, quorum mentio fit Aiakis v. 764:

„δόρει
βούλου κρατεῖν μέν, σὺν θεῷ δ' αἰὲν κρατεῖν“.

Sed Sophocles, ubi in duabus fabulis eandem personam induxerat, non ita anxie priorem fabulam respicere solebat, ut, quidquid illa persona agebat, quidquid sentiebat, utrobique congrueret, sed veritus non est alia fabula aliis moribus praeditam eam effingere, velut Creontem Oedipode Rege et Oedipode Coloneo. At ut recte coniectum sit Telamonem cum Aiace et Eurysace trilogiae vinculo coniunctum fuisse¹⁾, licuitne Sophocli Telamonis personam aliam inducere atque Aiakis loco illo significaverat? Non crediderim. Testificatur igitur fragmentum primum Ennium Sophoclis vestigia non pressisse, — dummodo trilogia illa statuenda sit. Sed haec ipsa adhuc sub iudice lis est. Itaque dubitatio manet de Sophocle auctore.

Neque, cur alium Graecum poetam praeferamus, habemus. Sagaciter quidem Welcker²⁾ observasse videtur Telamonis verba (fr. I) Euripidem respicere, ut glossarum Salomonis memores facile adducamur, ut Ennianam fabulam ad Euripidem referamus. Sed neque Euripidem hanc materiem in scenam protulisse notum est neque talibus enuntiatis nimium attribuire possumus momenti. Proferam exempli causa verba

„τὸ μαρτυρὸν γὰρ πᾶν φιλάργυρον γένος“

Ne hunc quidem versum Euripidi impertire dubitarem. Sumptus vero est de Sophoclis Antigona (v. 1055).

Non praetermittam aliam Welckeri opinionem commemorare, quippe quae ipsa quoque glossis Salomonis fulciatur. Suspiciatus est Ennium recentiori cuidam poetae se adiunxisse, inter quos Jon et Nicomachus Teuceri reditum tractaverunt. Verum quamquam glossae Salomonis et

1) cf. Christ „Geschichte der griechischen Litteratur“ ed. II 1890, pag. 203.

2) l. l. pag. 197.

Achilles 'Aristarchi' docent Ennium etiam ad illa, ut ita dicam, minora sidera animum advertisse, tamen alias praeterea causas afferre necesse est, ut Welckeri sententia probetur.

Itaque nihil affirmari posse videtur de Telamonis auctore Graeco¹⁾.

Andromeda.

Fragmenta ab Euripidis Andromeda non abhorrent, ut idem statuere queamus atque de Livii fabula eodem titulo exornata (cf. pag. 13). Videtur hic quoque Ennius antiquiorem poetam superare studuisse.

Athamas.

Quae fabulae de hoc Boeotorum et Thessalorum heroe narrabantur, cum ab aliis tum ab Atticis poetis tragicis adeo inter se commixtae et confusae sunt, ut difficillimum sit cognitu quod cuique de Athamante tragoediae argumentum fuerit. De Sophocle autem hanc materiem tractante accuratius agunt Schol. ad. Arist. Nub. v. 257, quibus, si respexerimus fragmentum quartum, Sophoclem duas de Athamante fabulas composuisse docemur: *Ἀθάμαντα στερφαν-φοροῦντα*, quae Hellae et Phrixi fata proposuit, et *ἔτερον Ἀθάμαντα*, cui titulum *Ἀθάμαντα μαινόμενον* dari posse Welcker²⁾ Brunckio auctore iure affirmavit.

Ennii autem fragmentum a Charisio (in Keil. Gr. L. vol. I pag. 241) laudatum cum de Baccharum manu agat, utriusque Sophocleae fabulae argumento obstare videtur. Contra optime comparatur cum illa fabula, quam Hyginus (fab. 4) narrat adscripto titulo 'Ino Euripidis'. Non igitur abnuerim hic quoque Ennium Euripidis drama reddere videri.

1) Idem iudicium fert Vahlen l. l. pag. 33, cum de Telamone fabula scribat: „für die, so gewiss sie aus dem Griechischen gezogen, ein griechisches Original nicht nachzuweisen ist“.

2) l. l. pag. 323 sqq.

Ovidius (fast. VI, 479 sqq.) narrat Inonem, cum in mare desiluisset, a Nereidibus cum Melicerta ad Tiberis ostium ductam esse ad Semelae vel Stimulae lucum. Maenadas autem a Iunone incitatas eam aggressas esse et puero spoliaturas fuisse, nisi Hercules ab Aventino auxilium tulisset. Unde Ovidius haec hauserit, quamquam non traditur, tamen Graecam tragoediam ei exemplo non fuisse elucet. Susplicari vero licet tragicum quendam Romanum, cum verteret in latinam tragoediam Inonis et Melicertae fata, non contentum fuisse Graeci dramatis fine, sed ex ipsius ingenio, quae erat de Stimulae luco latina fabula, eam Graeco dramati adaptasse et annexuisse. Talis tragoedia latina si scripta est --- merae autem suspicionis fines relinquere non ausim ---, non dubito quin inde Ovidius fastorum narrationem deprompserit. Nam fabulas Romanas saepius ab Ovidio adhibitae esse Pacuvii Pentheo credibile fit. Hic enim cum ceteris rebus plane consentiat cum Euripidis Bacchis, una re ab eis alienus est, quod non Bacchus, sed Acoetes, unus ex eius comitibus, a Pentheo capitur. Haec autem versio Pacuviana invenitur etiam apud Ovidium, qui ipse quoque cetera omnia sic depingit ut Euripides (cf. etiam Metam. III, 577 sqq.), ut non Euripidis sed Pacuvii Baccharum Ovidium rationem habere appareat.

Utrum tamen Livio praetermisso, qui tale quid innovasse existimandus non est, Ennius an Accius, qui Athamantem fabulam uterque scripserunt, Graecum exemplum sic, ut supra exposui, mutaverit vel auxerit, quomodo enucleetur, non habemus. Id autem persuadebitur, si quis concedat id, quod coniecturae loco protuli, non prorsus esse reiiciendum, corruere documentum illud de Euripide auctore Graeco, quod ex Enniano fragmento nacti esse videbamur. Neque enim illa re concessa verba Enniana de Ausoniis Maenadibus intelligere vetatur, ut nihil repugnet, quin Ἀθάμας μαινόμενος Sophoclis vel Aeschyli --- nam Aeschyli quoque Athamas furem Athamantis et Inonis continuasse videtur --- addito illo auctuario latino ab Ennio tractatus sit.

Sed utrum illud de Euripidis Inone an hoc de Sophoclis Athamante propositum praeferendum sit, alii videant.

M. Pacuvius.

L. Müller¹⁾ inter tres clarissimos tragicorum Romanorum poetas primum locum Ennium, ultimum Pacuvium obtinuisse contendit. Cui opinioni ut assentiar multum abest. Nam ne Cicero quidem, qui quantopere Ennium admiratus sit, quotiens Ennianis versibus scripta sua distinxerit, quis est qui ignoret²⁾, Ennium, sed Pacuvium primum tragicorum fuisse fatetur (cf. de opt. gen. or. 1, 2):

Verum tamen vereor ne nimia sit haec laus Pacuvii; neque enim deesse in eius sermone, quae vituperentur, docent et fragmenta saepius ubertate redundantia et ipse Cicero, qui (in Brut. 74, 258) scripsit:

„Caecilius et Pacuvius male locutos videmus.“

Accio contra, qui ipse quoque laudibus amplissimis cumulat³⁾, nihil eiusmodi opprobrio vertitur.

Itaque meo quidem iudicio summus Romanae tragoediae auctor Accius fuit, quod etiam his Romanorum scriptorum testimoniis concedi existimo:

Hor. epist. II, 1, 55:

„ambigitur quotiens uter utro sit prior, aufert
Pacuvius docti famam senis, Accius alti.“

Quint. X, 1, 97:

„Tragoediae scriptores veterum Accius atque Pacuvius clarissimi gravitate sententiarum, verborum pondere, auctoritate personarum. Ceterum nitor et summa in excolendis

1) „Q. Ennius „Eine Einleitung in das Studium der römischen Poesie.““ Petrop. 1884, pag. 94.

2) cf. exempli gratia: de or. I, 44, 198; Tusc. III, 19, 45; de prov. cons. 9, 21.

3) cf. Cic. pro Planc. 24, 59; pro Sest. 56, 120.

operibus manus magis videri potest temporibus quam ipsis defuisse. Virium tamen Attio plus attribuitur; Pacuvium videri doctiorem, qui esse docti affectant, volunt.“

His enim locis demonstrari mihi videtur ingenio, quale decet inesse in poeta, superatum esse Pacuvium ab Accio. Sed quid sibi velit illa ‘docti’ poetae laus, qua exornabatur Pacuvius et Horatio teste et Quintiliano, non satis manifestum est. Ladewig¹⁾ quidem putavit Pacuvium non raro neglectis Graecis tragoediis ex ipsis illarum fontibus argumenta sua hausisse. Ribbeck²⁾ scripsit:

„mores delineandi, affectibus praefandi, normamque verisimilitudinis adhibendi maior peritia ac prudentia docti nomen Pacuvio poterat comparare. Quidni philosophiae quoque et vulgaris cuiusdam sapientiae maius in eo quam in Attio studium σοφιστικῆς μαρτυροῦσι quibusdam placuerit?“

Regel³⁾ dictionis et sententiarum amplitudinem in causa fuisse conicit.

Ipsae hoc mihi persuasi:

Si percensem fabularum Pacuvianarum reliquias, eum non clarissima quaeque Graeca argumenta velut bellum Troianum praetulisse invenimus, sed ea maxime tractasse, quae plane obscura et a communi scientia longe aliena erant. Quod cum esset testimonio, quam penitus imbutus fuisset vel reconditis minusque tritis Graecarum litterarum fontibus, docti poetae cognomine exornatus esse videtur⁴⁾. Neque in eo acquievit, quod ignotas fabulas civibus suis spectandas proposuit, sed etiam ad obscuriores Graecos

1) cf. Rh. Mus. N. F. VI, 611—614. Ipse postea (Anal. scen. pag. 10) sententiam mutasse videtur, ut Pacuvium docti famam parasse crederet, quod religiosissime sensus et mores Graecorum observasset.

2) „In tragicos Romanorum poetas coniectanea“ Diss. inaug. Berol. 1849, pag. 22.

3) l. l. pag. 48.

4) Simili sententia est Welcker l. l. pag. 1397, quamquam non eodem modo ratiocinatur, et A. Goette „de L. Accio et M. Pacuvio veteribus Romanorum poetis tragicis“ Progr. Gymn. Rheine 1892, pag. 17.

poetas animum advertere solebat. Nam ex tredecim illis titulis, qui innotuerunt, duo, qui sunt:

Iliona et Medus,

nusquam inter Graecos titulos nobis servatos recurrunt, neque cognitum habemus id, quod eae fabulae continebant, nisi ex Hygino (fab. 109 et 127).

Quod autem nonnulli viri docti coniecerunt Pacuvium haec dramata ex ipsius ingenio composuisse nullis Graecis exemplis adhibitis, hanc opinionem ut laudem a me non impetro, cum talem rationem non fuisse e moribus illorum poetarum pro certo habeamus, sed, sicut supra demonstravi, utramque ad recentiores poetas Graecos refero.

Idem iudicium ferendum est de auctore Graeco eius fabulae, quae

Dulorestes

vocabatur. Diu haec Euripidis Iphigeniam Tauricam reddidisse credebatur, ex quo Stieglitz¹⁾ huius opinionis auctor extitit²⁾. Sed falso illum coniecisse primus demonstravit O. Jahn³⁾, postea Ribbeck⁴⁾. Apertissime enim docuisse videntur hi viri doctissimi a Pacuvio in scenam productum esse Orestem in patriam revertentem et Aegisthum ulciscentem. Sed neque Aeschyli Choephoris neque Sophoclis aut Euripidis Electra usus est. Non enim servi veste indutus apud illos patriam domum intrat, non Electra reditus die nuptura est, non Oeacis, Nauplii filii, mentio fit. Itaque hoc quoque dramate Pacuvius non notissimarum fabularum vestigia secutus est, sed exemplum aliquod discrepans adhibuit.

1) „de Pacuvii Duloreste“ Lips. 1826.

2) Non Euripidis, sed alterius poetae Graeci Iphigeniam Tauricam latere in Duloreste probare studuit Wennemer: „De Pacuvio, imprimis de eius Antioepae, Dulorestis Ilionaeque fragmentis.“ Diss. inaug. Monast. 1853, pag. 25.

3) Herm. II, 229 sqq.

4) Röm. Trag. I. I. pag. 239 sqq.

Atalantae

res gestae non raro a Graecis tractatae esse videntur; de claris poetis unius Aeschyli *Ἀταλάντη* commemoratur, quae quid complexa sit, obscurum est. Fortasse etiam haec Pacuvii fabula ad poetae minus celebris exemplum revocanda est.

Neque tamen neglexit poeta noster splendidissimorum tragicorum dramata, ut ex his cognoscitur:

Antiopa

ex Euripide ducta est teste Cicerone (de fin. I, 2,4); iidem poetae debetur

Pentheus,

cuius argumentum a Servio (ad Verg. Aen. IV, 469) narratum prorsus consentit cum Bacchis Euripidis, praeterquam quod non Dionysus ipse, sed Acoetes, socius eius, a Pentheo in vincula conicitur (cf. pag. 32.). Idem haud scio an statuendum sit de

Periboea,

quam ad Euripidis Oeneum adnectendam esse Ribbeck¹⁾ suspicatus est adversante L. Muellero²⁾, qui Graecum huius fabulae auctorem inter Euripides sectatores fuisse sibi persuasit.

Protesilaus,

cum a solo Antonio Volsco, qui vixit saec. XV. exeunte, adnotatione ad Ovidii Heroidem XIII. facta nominetur, num a Pacuvio composita sit, ambiguum est, ut supersedeam munere iudicii de Euripidis Protesilao adhibita proferendi.

Quamquam igitur Pacuvius quoque Euripidis rationem habuit, tamen ex eis, quae exposui, apparet illa admiratione, qua adducti priores iterum atque iterum in Euripidis fabulas vertendas inciderant, eum multo minus obstrictum fuisse. At non modo ignobiles poetae inter Pacuvii

1) l. l. pag. 303.

2) „de Pacuvii fabulis“ Journal d. Kaiserl. russ. Ministeriums der Volksaufklärung, 1889, pag. 90.

auctores fuerunt, sed etiam Sophoclem Euripidi aliquantum auctoritatis detraxisse videbimus¹⁾).

Armorum iudicium.

Hanc fabulam non modo id continuisse quod Aeschyli *Ὅπλων κρίσις*, sed etiam Aiakis mortem fragmentis comprobatur. Atque quoniam Aeschyleam illam fabulam cum duabus aliis, quae fuerunt:

Θρήσσαι et *Σαλαμίνιαι*,

trilogiam effecisse, *Θρήσσαι* vero de Aiakis morte egisse²⁾ scimus, non inepte conicere videtur, si quis Pacuvium primam et secundam trilogiae fabulam inter se conexas Armorum iudicio reddidisse sibi persuadet. Fuit autem in hac opinione G. Welcker³⁾. Sed repugnant fragmenti XI verba:

„quod ego inaudiui accipite, et quid sit facto opus decernite,“ quae Ribbeck⁴⁾ nuntii cuiusdam fuisse putat, qui quem finem Aiakis et Ulixis de Achillis armis certamen apud iudices habuisset, referret. Itaque secundum Ribbeckium iudicium non coram audientibus, sed post scenam peragebatur, ideoque fragmenta IV et V attribuit altercationi ei, qua Ajax et Ulixes, priusquam iudicium instituat, quibus uterque causis adducatur, ut sibi arma tradenda esse existimet, inter se proferunt. Mirum autem mihi videtur illud iudicium, quod aptissimum erat ad dramaticam poesin⁵⁾, quod Pacuvii tragoediae nomen indiderat, spectatoribus Romanis iudiciorum amantibus subtractum esse. Multo

1) Paullo festinantius Welcker l. l. pag. 1342 itemque Teuffel („Caecilii Staius, Pacuvius, Attius, Afranius“ *Progr. acad. Tueb.* 1858, pag. 10) Pacuvium Sophoclis imprimis vestigia pressisse statuerunt.

2) cf. Nauckii *fragg. tragg. graece.* pag. 57/58; Schol. ad Soph. *Aiac.* v. 815.

3) In „Über den Ajax des Sophocles“ *Rh. Mus.* III pag. 55.

4) l. l. pag. 220.

5) cf. Aeschyli *Eumenidum extremam partem.*

verisimiliore ratione argumentum fabulae explicavit G. Hermann¹⁾:

Agamemno certamine instituto victori Achillis arma praemii loco dare in animo habet (fr. I—III). Sed cum Ajax et Ulixes sibi uterque arma vindicent, Nestore auctore iudicium convocat (fr. VII—IX), in quo Ajax et Ulixes exponunt, cur sibi potissimum arma danda sint (fr. IV—V):

Neque refutatur haec sententia fragmento X:

„nilne ad te de iudicio armum accidit“,
ut sibi persuaserunt Ribbeck²⁾ et L. Müller³⁾. Nam ut exemplum exhibeam, nonne fieri potuit, ut Teucer his verbis interrogaretur, cum in castra Achivorum rediret?

Iam si ita factum concedimus, et reicitur Ribbeckii de fr. XI sententia et oritur quaestio, quomodo interpretandum sit illud fragmentum. Atque equidem vix aliud quicquam significari arbitror nisi caedem gregis⁴⁾. Itaque optime cum hoc coniungas fr. XIII:

„feroci ingenio, torvus, praegrandi gradu“,
quae verba furorem appropinquantem significare videntur. Aeschylum autem sicut Pindarum in Threissis gregis caedis mentionem non fecisse Welcker⁵⁾ iure contendit. Nam cum Atridae non ipsi ius dicerent, iudicii iniqui culpa carebant neque erat, cur Ajax, ut apud Sophoclem, eos ulcisci conaretur. Itaque quandoquidem Aeschylus gregis caedem praetermisit, Pacuvius inseruit, apparet Romanum poetam in altera fabulae parte Aeschylum secutum non esse.

Utrum ibi Sophoclis tragoediam verterit necne ambiguum est. Sed probabilius esse credo eum unius ex recentioribus poetis rationem habuisse⁶⁾, quod et illis luculentissime

1) Opusc. VII, pag. 366.

2) l. l. pag. 220.

3) „de Pacuvii fabulis“ pag. 70.

4) cf. etiam G. Hermann (Opusc. VII, pag. 367).

5) „Der epische Cycles“ Bonn 1835—1849, II, pag. 179; „Kleine Schriften“ Bonn. — Elberfeld. 1844—1876, II, pag. 276.

6) Teuffel l. l. pag. 8. eadem esse videtur opinio.

favebat et fragmentum X haud scio an ad aliorum opera tragica avocet et Accius, quem Aeschyli Armorum iudicium et Sophoclis Aiace[m] contaminasse infra explicabimus vix plane eandem componendi rationem ingressus est atque Pacuvius.

Num Pacuvius Livii et Ennii Aiace[m] respexerit, quique inter has fabulas conexus fuerit, in dubio est.

In priore autem Armorum iudicii parte non habemus, cur Aeschylum auctorem fuisse negemus. Osanni¹⁾ enim sententia, qui Sophocleam quandam fabulam, cuius titulus casu interiisset, exemplum fuisse priori Pacuvii tragoediae parti sibi persuasit, neque probabilitate defenditur neque ullo testimonio fulcitur.

Teucer.

Fluxisse hanc tragoediam ex Sophoclis Teucro G. Hermann²⁾ sibi persuasit, quod apud utrumque poetam nuntius de rebus ad Troiam vel post Troiae expugnationem gestis afferretur. Sed ut fateamur Pacuvii fr. IV:

„nihilne a Troia adportat fando?“

aliquid eiusmodi significare, tamen vix Sophoclis fr. 520:

„οὐρανὸν δ' ἄπο

ἤστραψε, βροντὴ δ' ἐξῆγάγη δι' ἀστραπήs“

ad nuntium iustius quam ad ipsum Teucrum referetur, qui patrem de reditu periculoso doceat.

Nihil igitur de Graeco Teuceri exemplo cognitum habemus.

Niptra.

Cic. Tusc. II, 21, 48 sq. scribit:

„non nimis in Niptris ille sapientissimus Graeciae saucius lamentatur vel modice potius:

‘pedetemptim’, inquit, ‘et sedato nisu,

ne successu arripiat maior

dolor’

1) „Über des Sophocles Aias“ Berol. 1820, pag. 39.

2) „Opusc.“ VII, pag. 382.

Pacuvius hoc melius quam Sophocles — apud illum enim perquam flebiliter Ulixes lamentatur in vulnere —:“ etc.

Gravissimus hic locus est et satis dignus, in quo paullum consistamus. Nam primum paene solus est, quo Romanam aliquam fabulam ex Sophoclea fluxisse docemur, cum de Euripide saepius idem accidat; deinde autem summi momenti est in pertractanda illa quaestione, quam incerta et fragili reliquiarum natura coacti obiter tantum hic illic perstrinximus: quo modo usi sint Romani scenici poetae cum aliis tum Sophoclis fabulis.

Quae dissertatio quamquam ad finem perducere nequit nisi etiam illa dramata examinantur, quae cum non ex Sophoclis operibus fluxissent, breviter admodum attigi, tamen occasione data pauca mihi proferre liceat.

Atque de Livio quid sentiendum esset iam supra explicavi (cf. pag. 8). Naevius vero vinculis, quibus ille obstrictus erat, detractis primus liberius fabulas contexere potuit (cf. pag. 15). Eandem vel magis magisque expeditam componendi rationem Ennius, Pacuvius, Accius amplexi sunt ut quanto quis longius abesset a principio tragoediae Romanae, tanto minus arte se applicaret ad auctores Graecos. Atque compluribus de causis mutare vel pluribus exornare studebant id quod apud Graecos inveniebant: Primum erant quae minus commode et decore a Graecis facta viderentur, tum quae a Romanorum moribus abhorrerent, denique quae nimia simplicitate Romanorum animos varietatem et copiam cupientes non satis delectarent. Quid autem novaverint, quid intersit inter uniuscuiusque mutandi consuetudinem, difficillimum est intellectu.

Iam revertamur ad nostram fabulam. Sophocles igitur non veretur Ulixem vulneratum muliebri paene modo querentem et lacrimantem fingere. Pacuvius vero a se non impetravit, ut auctoris exemplum imitaretur, sed mutandi munus iniucundum suscepit. Habuit enim rationem civium suorum, qui, ut erant Romani, certe non aliter sentiebant atque centum annis post Cicero, qui cum viris fortibus et

constantibus nimium dolorem indignum esse existimaret, facere non potuit, quin Pacuvium illum locum melius effinxisse iudicaret quam Sophoclem.

In altera quoque re Pacuvius in Niptris a Sophocle deflexisse videtur, quamquam nescio an magno cum dramatis detrimento hoc factum sit.

Fragmentis enim IV—VI evincitur Ulixem explicasse, quos errores Troia rediens superavisset. Qui quamquam celeberrimi omnibus temporibus fuerunt, tamen idonei non erant, qui accuratius ab ipso narrarentur longo tempore postquam Troia revertisset. Quare L. Müller¹⁾ fragmenta supra laudata non ad notos illos errores refert, sed ad eos, quibus Ulixes implicatus sit, cum iterum patria egressus esset. Neque vero his fragmentis interpretatio viri docti artificiose constructa comprobatur. Aliam igitur explicandi viam ingressus est Wilamowitz²⁾ cum Sophoclem *μνηστῆροφονίας* loco Ulixis mortem intempestivam proposuisse statueret. Neque vero est cur Pacuvium illam errorum narrationem apud Sophoclem invenisse credamus. Nimis temere enim conicere puto, si quis omnes errores apud Sophoclem enumerari sibi persuadet, quod unum fragmentum 419

„*νηδὺς ἐλαϊέσσα*“

haud scio an ad Cyclopis ventrem avidum pertineat. Verisimilius igitur existimo Romanum poetam studio accensum argumenti amplificandi clarissimos illos eventus inseruisse aut suo arbitrio aut illis ipsis verbis Sophocleis illectum.

Chryses.

Argumentum huius tragoediae illud fuisse necesse est, quod ab Hygino fab. 120, 121, memoriae proditur. Bis enim Chryses ita commemoratur in antiquis narratiunculis, ut iustam dramatis materiem praebeat, primum ubi raptae

1) „de Pacuvii fabulis“ pag. 88 sqq.

2) „Homerische Untersuchungen=Philologische Untersuchungen VII, Berl. 1884 pag. 194 sqq.

Chryseidis recuperandae causa in castra Achaeorum venit (cf. Iliad. I, 8 sqq.), deinde ubi Orestes et Iphigenia Chryseidis et Agamemnonis filium in Smintha insula conveniunt (cf. Hygin. fab. 120, 121). Iam quoniam Orestis mentio fit apud Pacuvium (cf. fr. XIV), quo huius poetae Chryses referendus sit, conspicuum est¹⁾.

Inter Graecos poetas idem titulus apud Sophoclem invenitur. Huius autem Chrysen a Pacuviana segregandam esse statuit Wilamowitz²⁾ sic ratiocinatus: Iphigenia Taurica Euripidis cum prima Pyladi maius momentum attribuerit, Pacuvianae fabulae exemplum Graecum post illam Euripidis tragoediam editum esse necesse est. Sophocles autem Chrysen ante annum 414 composuit (cf. Ar. Av. 1240 c. schol.) Ergo Romani poetae fabula non ex Sophocle originem duxit. Corruit autem haec argumentatio vel eo quod prorsus dubium est quo tempore Iphigenia Taurica acta sit. Ut igitur viri doctissimi ratiocinationem retineamus cur Sophoclem Chrysi operam dedisse negemus, postquam Euripidis Iphigenia Taurica in lucem edita esset?

Accidit quod reliquiis monemur Sophocleam fabulam ibi locum habuisse, ubi Hygini narratio.

Fragmenti enim 658 ex hac fabula servati verba:

„ὦ περὶ τοὺς λειβῆς Ἑστία, κλύεις τάδε;“

talia sunt, qualia ad ipsam Hestiae aram facta esse verisimillimum est. Hestiae autem aram in castris Achivorum fuisse credendum non est. Fuit vero Hestiae ara Tenedi (cf. Pind. Nem. XI, 5 sqq.) ubi Strabone (XIII, 46) auctore Ἀπόλλων Σμινθεὺς celebrabatur. Quid? Nonne Tenedum et Sminthen insulam, quam Chrysen Apollinis sacerdotem incoluisse ab Hygino docemur, inter se diversas non fuisse probabile est? Accedit fr. 668:

„τὰς Ἑκαταίας μαγίδος δόρπων“,

si quidem titulus depravatus „ἐν χρίσει“ non, ut Brunck³⁾

1) cf. Näcke „Opuscula philologica“ 1842, I, pag. 91.

2) „Die beiden Electren“ Herm. XVIII (1883) pag. 257 sqq.

3) ed.

proposuit mutandus est titulo „ἐν Κρίσει“, sed „ἐν Χρύσει“, ut illis verbis Artemidis Tauricae, quam Orestes et Iphigenia effugerunt, mentio fiat. Videmus igitur et Pacuvii et Sophoclis Chrysen illa fabula contineri, quae Hygini opera servata est. Atque cum nullum praeter Sophoclem Graecum auctorem noverimus, qui huic materiae se dederit, quantum in nobis est, contendere licet Pacuvium Sophoclis fabula niti videri ¹⁾).

Ne tamen negemus fragmenta V—VII Anaxagorae philosophiam respicientia, si modo prolata sunt a Chryse Apollinis sacerdote, idonea esse, quibus difficultas oriatur. Hausta autem sunt ex Euripidis Chrysippo (fr. 836) ut Ribbeck ²⁾) non dubitaverit quin scribae errore ex Chrysippo Chryses titulus natus sit, ut Chrysippo cuidam non Chryssae Pacuvianae fragmenta V.—VII. attribuenda sint. Sed cur Chryssae ipsius haec verba fuisse necesse sit non intellego. Equidem contra Ciceronis verba (de div. I, 57, 131):

„ut ille Pacuvianus, qui in Chryse physicus inducitur“

sic interpretari malim, ut non Chryses ipse, a quo fabula inscripta est, sed alius quidam versuum illorum auctor fuerit. Quod si amplectimur, evanescit quaevis de Apollinis sacerdotis verbis haesitatio neque est, cur personam aliquam Pacuvianae Chryssae talia vociferatam esse negemus. Ut autem cognoscatur, quomodo Chrysippi fabulae Euripideae locus irrepserit in Chrysen fabulam, conicias Pacuvium sceniorum Romanorum consuetudinem secutum aliquid ex Euripidis fabula intexuisse, quod ad argumentum amplificandum et exornandum aptum videretur ³⁾).

1) Consentit L. Müller „de Pacuvii fabulis“ pag. 70.

2) l. l. pag. 256.

3) L. Müller („de Pacuvii fabulis“ pag. 71) eodem loco Euripideo usum esse memorat Lucretium (II, 991 sqq.) neque quicquam aliud inde derivandum putat quam cupidissimos fuisse inde ab Ennii temporibus Romanos philosophiae Graecae. Quod studium quoniam alioqui saepissime cognoscitur, mirum non est auctores scenicos Romanos ei indulsisse.

Hermiona.

Ex Eustathio (ad Od. pag. 1497, 10 sqq.) certiores fimus Sophoclis Hermionam satis discrepuisse ab Euripidis Andromacha, cum et Andromachae partes reprimerentur et res Delphis, non in Phthia ageretur. Accedunt Schol. ad Eur. Or. 1654, quibus docemur Neoptolemum oraculum Delphicum adiisse non ut Apollinem placaret, sed ut de Hermionae sterilitate Pythiam consuleret (cf. etiam pag. 10).

Uter Graecus poeta Pacuvio exemplo fuerit horum-locorum comparatione cognoscitur:

- I. fr. I: „quo tandem ipsa orbitas
grandaevitasque Pelei penuriam
stirpis subauxit“

Schol. Eur. Or. 1654:

„*Νεοπτόλεμος Ἑρμιόνην γαμεῖ τὴν Μενέλεω, καὶ ἔρχεται εἰς Δελφοὺς περὶ παίδων χρησόμενος . οὐ γὰρ αὐτῷ ἐγένοντο ἐξ Ἑρμιόνης ταῦτα γενεαλογεῖ καὶ Σοφοκλῆς*“.

- II. fr. XIV: „o flexanima atque omnium regina rerum
oratio!“

fr. XV: „quantamque ex discorditate cladem importem
familiae“.

Ribbeckii¹⁾ opinionem hi loci comprobare videntur, x mollibus moribus Hermionam fuisse credidit. Euripidis vero Hermionam longe aliter sentire notum est.

- III. fr. V: „prius data est quam tibi dari dicta,
aut quam reditum est Pergamo“.

fr. XVIII: „Tundareo fieri contumeliam,
cuius pater veretur maxime“.

Eustath. Schol. Od. pag. 1479, 10 sqq.:

„*ἔτι ἐν Τροίᾳ τυγχάνοντος Μενελάου ἐκδοθῆναι τὴν Ἑρμιόνην ὑπὸ Τυνδάρεω τῷ Ὀρέστη . εἶτα ὕστερον ἀγαιρεθεῖσαν αὐτοῦ ἐκδοθῆναι τῷ Νεοπτολέμῳ κατὰ τὴν ἐν Τροίᾳ ὑπόσχεσιν*“.

1) l. l. pag. 263.

Omnibus hic locis, qui partim congruunt cum Sophocle partim alieni sunt ab Euripide, perspicitur Pacuvium, ut antea Livium, Sophoclis, non Euripidis fabulam expressisse¹⁾).

L. Accius.

Quamquam saepissime florentissimus hic inter tragicos Romanos poeta laudatur, a Cicerone, Varrone, grammaticis scriptoribus, tamen nusquam sicut de Pacuvio et Ennio nobis occurrit certum testimonium de ullius fabulae Graeco exemplo adhibito, excepto uno de Epigonis loco Ciceroniano. Id autem eo aegrius ferimus, quod quo quis poeta longiore spatio a rudimentis poeseos tragicæ Romanae segregatus erat quoque melius, priorum exemplis eruditus, quid ad Graecos, quid ad Romanos audientes accommodatum esset, distinguebat, eo liberius omissis Graecarum fabularum praeceptis suum ingenium suorumque mores duces sequebatur. Magis magisque igitur augebant difficultatem cognoscendi, quod cuique tragoediae exemplar Graecum vindicandum esset. Itaque de Accii, recentissimi tragici Romani, fabularum Graecis auctoribus iudicium ferre vetamur nisi — praetermissis illis raris exemplis, ubi unus Graecus scriptor fabulam aliquam in tragoediae formam redegit — manifestus quidam vel argumenti vel verborum consensus intellegatur. Quin inventi sunt qui sibi persuaderent Accium haud raro neglectis dramatibus Graecis ex ipsis Graecorum tragicorum fontibus hausisse, velut Nieberding¹⁾ contendit:

„Attius totam Iliadem in continuam fabularum seriem disposuit, et quamvis sit Aeschylum imitatus, multa tamen de suo ingenio addidisse et multo minus, quam ab Aeschilo factum est, epicum colorem delevisse videtur.“

1) Ladewig contra (l. l. pag. 4) Pacuvium non Sophoclis Hermionam usum esse existimavit, ad quam sententiam accessit L. Müller („de fabulis Pacuvii“ pag. 79).

1) „Ilias Homeri ab L. Attio poeta in dramata conversa“ Gymn. Progr. Conitz. 1838, pag. 3.

Non dubito quin Nieberdingii opinio veri terminos longe superet, neque talis componendi ratio e tragicorum Romanorum consuetudine fuisse credenda est respecto loco Ciceroniano (Acad. post. I, 3, 10):

„quid enim causae est, cur poetas Latinos Graecis litteris eruditi legant, philosophos non legant? an quia delectat Ennius, Pacuvius, Accius, multi alii, qui non verba sed vim Graecorum expresserunt poetarum? Quanto magis delectabunt philosophi, si, ut illi Aeschylum, Sophoclem, Euripidem, sic hi Platonem imitentur, Aristotelem, Theophrastum?“ (Cf. etiam Hor. ep. II, 1, 161 sqq.)

Sed monemur hoc Nieberdingii exemplo, quam caute de clarissimi huius poetae fontibus Graecis iudicare debeamus.

Idem sequitur ex variis de auctoribus Graecis iudiciis, quae prolata sunt a viris doctis. Ex quibus cum permulta enumeraverit (Grottemeyer¹⁾), ego nunc pauca afferre satis habeo. Welcker²⁾ igitur cum Accium perpetuum paene Aeschyli sectatorem extitisse affirmasset, Ladewig³⁾ nullam omnino Aeschyleam fabulam ab Accio expressam esse statuit, A. Schoell⁴⁾ Sophoclem, Euripidem Hartung⁵⁾ auctorem Graecum proposuerunt. Videmus, quam diversas in partes discesserint virorum doctissimorum sententiae, ut verear numerum eorum augere, qui debilibus nixi fundamentis certum de praecipuo Graeco auctore iudicium ferre ausi sunt. Id autem affirmare posse mihi videor, ut Pacuvius relicto Euripide magis animum ad Sophoclem adverterit, ita Accium Aeschylo debitos solvisse honores. Ex Aeschylo enim fluxisse puto has fabulas:

1) „De L. Attii tragoediis“ Monast. 1851, pag. 19 sq.

2) l. l. pag. 1342.

3) l. l. pag. 2.

4) „Beiträge etc.“ pag. 318 adn. 168.

5) Zeitschrift für Altertumswissensch. 1842, pag. 830.

1) Telephum¹⁾

cf. Geel²⁾, O. Jahn³⁾ Ribbeck⁴⁾

Euripidem malunt Hartung⁵⁾, Cramer⁶⁾

2) Myrmidones, Achillem, Epinausimachen auctore Hermann⁷⁾ cuius opinio a plurimis viris doctis recepta est. C. Robert⁸⁾ vero, cum Myrmidones idem continuisse explicet, quod primo Iliadis libro legitur, Epinausimachen, autem mortem Patrocli afferre, Myrmidones nihil commune habuisse autumat cum Aeschyleis Myrmidonibus, cuius tragoediae argumentum Epinausimacha Acciana reddatur ambiguum utrum Aeschilo an alio quodam Graeco auctore. Vel longius discedit N. Wecklein⁹⁾ Accii Myrmidones egisse de Palamede ratus. A. Schoell¹⁰⁾ vero cum demonstrare studeat Accium totam de Achille Homérico fabulam continua tragoediarum serie reddidisse, ea, quam supra commemoravimus, de Accio Sophoclis imitatore opinione ductus non veretur statuere etiam illam, quam diximus, tragoediarum seriem ex Sophocle originem duxisse. Neque vero, quae profert, ut hoc corroboret, merae suspicionis limites transgrediuntur. Nec minus quam de Graeco auctore viri docti inter se disputaverunt de ratione quae intercederet inter tres illas fabulas velut Duentzer¹¹⁾ tres illos

1) De Telepho et Graecis de eius fati tragoediis pluribus agit C. Robert „Beiträge zur Erklärung des pergamenischen Telephosfrieses“ Jahrb. d. Kais. deutsch. Arch. Inst. II (1887) pag. 244 sqq. et III (1886) pag. 45 sqq. 87 sqq.

2) „De Euripidis Telepho“ Ann. Inst. Belg. 1830, pag. 2.

3) „Telephus und Troilus“ 1841, pag. 37.

4) l. l. pag. 345.

5) „Euripides restitutus“ Hamb. 1843/46, I, pag. 196 sqq.

6) „L. Attii fragmenta“ Diss. inaug. Monast. 1852, pag. 3.

7) „Opuscula“ V, pag. 186 sqq.

8) „Bild und Lied“ = Philologische Untersuchungen V Berl. 1881 pag. 133 sqq.

9) l. l. pag. 338 sqq.

10) „Beiträge“ etc. pag. 314 sqq. et „Gründl. Unterr. über die Tragödie d. attischen Theaters“ Lips. 1859, pag. 110 sqq.

11) l. l. pag. 20.

titulos uni tragoediae attribuit, Wulff¹⁾ et Ribbeck²⁾ Epinausimachen segregaverunt, L. Müller³⁾ suam cuique fabulae materiam dat. Quae sententia amplectenda sit nescio.

3) Hectoris lutra.

Nusquam huius fabulae mentio fit, tamen fortasse assentiendum est G. Hermann⁴⁾ respectis Ciceronis Tusculanis disputationibus (I, 44, 105) non iniuste etiam Hectorem redditum ab Accio in scena propositum esse coniecit.

4) Armorum iudicium.

Plura infra de hac tragoedia nobis disserenda erunt (cf. pag. 51).

5) Philocteta.

Sic G. Hermann⁵⁾, Welcker⁶⁾, Düntzer⁷⁾ etc. Euripidi favent Hartung⁸⁾, Naecke⁹⁾, Ladewig¹⁰⁾ Ribbeck¹¹⁾ cf. pag. 52.

6) Clytaemnestra.

Agamemnonis caedem i. e. idem argumentum atque Aeschyli Agamemnoni huic dramati subesse fragmentis demonstratur. Atque cum nulla praeterea de hac materia fabula Graeca commemorata inveniatur, (Osann¹²⁾) non dubitat

1) „Quaestiones Accianae“ Diss. inaug. Monast. 1875, pag. 32sq.

2) l. l. pag. 349 sqq.

3) „de Accii fabulis“ Journ. d. Kais. russ. Minist. d. Volksaufkl. 1890, pag. 2.

4) „Opuscula“ V, pag. 160.

5) „Opuscula“ VII, pag. 113sq.

6) Rh. Mus. V, pag. 466 sqq.

7) Zeitschr. f. Altertumswiss. 1838, pag. 39 sq.

8) „Eur. restit.“ I, pag. 348 sqq.

9) „Opuscula“ I, pag. 77 sqq.

10) l. l. pag. 3.

11) l. l. pag. 377 sqq.

12) l. l. pag. 6, adn. 1.

Accii Clytaemnestram ad Aeschylum referre¹⁾. Welcker²⁾ ut idem statuatur, a se non impetrat, neque Ribbeck³⁾ Hygini fabula 117 nixus. Fragmenta nihil exhibent. Sed cum reliquiae Aegisthi Accianae, quae idem continebat atque Clytaemnestra⁴⁾, ut Aegisthum alterum eiusdem dramatis titulum fuisse probabile sit, ad Aeschyli Aegmemnonem alludere videantur⁵⁾, equidem ad Osanni quam ad Welckeri et Ribbeckii opinionem me applicare malim.

Prometheus

utrum ex Aeschylo fluxerit necne, in dubio relinquam⁶⁾.

Euripidis contra, cui Ennius adeo faverat, ab Accio vel magis neglectus est, quam a Pacuvio, dummodo respiciamus numerum titulorum ex utroque poeta Romano notorum. Hae enim Euripidi vindicari possunt fabulae Accianae:

1) Phoenissae.

Accius etiam Aeschyli rationem habuisse videtur⁷⁾. Thebais semel a Nonio citata eadem fabula fuisse putanda est⁸⁾.

2) Bacchae.

3) Diomedes.

Οἰνεύς Euripideus subest; cf. pag. 59 de Pacuvii Periboea.

1) Assentitur Teuffel l. l. pag. 18.

2) l. l. pag. 1158.

3) l. l. pag. 460 sqq.

4) cf. Düntzer l. l. pag. 25; L. Müller („de Accii fabulis“ pag. 4) ductus fragmento II proponit Aegisthum et Clytaemnestram ab Oreste punitos, sed videas Ribbeckium (l. l. pag. 465).

5) cf. Ribbeck l. l. pag. 467.

6) cf. Ribbeck l. l. pag. 543; Teuffel l. l. pag. 24 Ionem et Prometheus in unam fabulam contrahit ex Aeschylo haustam, ita ut sermo ille, cuius partem Cicero (Tusc. disp. III, 31, 76) ex ipso Aeschylo vertit, omissus sit. Aliter indicat Ribbeck l. l. pag. 547, quem L. Müller („de Accii fabulis“ pag. 39) sequitur.

7) cf. Ribbeck l. l. pag. 476 sqq.

8) cf. Welcker l. l. pag. 1387; respicias etiam Senecae Phoenissas Thebaidis nomine inscribi.

4) Meleager.

Hartungio¹⁾ auctore, qui ad versus quosdam versibus Euripideis simillimos testes provocat.

5) Minos = Minotaurus.

Fortasse Euripidis Thesea haec fabula imitatur²⁾.

6) Chrysippus.

Consuetudo illa Pacuviana fabulas Graecas remotiores et recentiores tractandi ab Accii moribus aliena est. Nam quamquam eae tragoediae, quarum argumenta apud nullum nobiliorum poetarum Graecorum expressa invenimus, non desunt, tamen comparatae cum numero titulorum servatorum satis paucae videntur. Sunt autem hae:

1) Nyctegresia.

Welckeri³⁾ suspicio, qua Accium genuinam Euripidis fabulam, cui *Ἠώς* nomen erat, vertisse statuit, num recipienda sit, diiudicare nostrum non est⁴⁾.

2) Hellenes.

Apollodori fortasse exemplo debentur.

3) Io.

Chaeremone fortasse auctore scripta est (cf. pag. 49 adn. 6).

4) Phinidae.

5) Melanippus.

6) Stasiastae vel tropaeum Liberi:

His rebus praemissis ad quaestionem nobis propositam accedamus, ut de eis, quae restant, fabulis disputemus, utrum ex Sophoclis exemplis fluxerint necne.

1) „Eur. rest.“ I, pag. 141.

2) cf. Ribbeck l. l. pag. 564 sqq.

3) l. l. pag. 1102 sqq.

4) A. Schoell („Beiträge etc.“) cum falsam de Sophoclis Antenoridis opinionem finxisset (cf. pag. 96) Nyctegresiam et Antenoridas in unam contraxit fabulam, ita ut Nyctegresiam ex priore, Antenoridas ex posteriore Antenoridarum Sophoclearum parte derivaret.

Armorum iudicium.

Quamquam iam ad Aeschylum rettulimus hanc tragoediam (cf. pag. 48), tamen etiam hoc loco ei operam demus necesse est. Nam cum Welcker¹⁾ eadem atque de Pacuvii Armorum iudicio sententia ductus Accium Sophoclis Aiace omitta Aeschyli Armorum iudicium et Threissas contaminasse affirmavisset, Lobeck²⁾, G. Hermann³⁾, Ribbeck⁴⁾ dubium non esse existimaverunt, quin Accius posteriore dramatis parte Sophocli se adiunxerit⁵⁾.

Haec igitur dissensio ut diluatur, paullulum in reliquis Accianis inspiciendis moremur necesse est. E quibus si cognoscitur Accium etiam gregis caedem inseruisse, quam Aeschylum neglexisse vidimus (cf. pag. 38), non est quod in dubio maneat. Iam vero fr. IX.

„(bene facis): sed nunc quid subiti mihi febris civit mali“ quo referamus, non habemus, nisi ad gregis caedem, cuius conscius se fieri Ajax illis verbis profitetur. Huc accedit quod nonnulli versus Acciani cum Sophocleis consentire videntur. Non eo progrediar, ut inter hos locos enumerem aut fr. XIII, quoniam complures loci Sophoclei adeo sunt similes, ut eodem quisque iure fons fragmenti Acciani appelletur (v. 758 sqq. vel 1036 sq. vel. 764).

aut fr. VIII: „ubi cura, ibi anxietudo acerbast, ibi cunctatio, consiliorum erratio et fortunaest <sollicitatio>“, quod vix cum Aiace versibus 531 et 535 conexum est. Sed afferam fragmentum XII:

„sed pervico Ajax animo atque adversabili“, quod deductum videtur de Aiace v. 766:

1) l. l. pag. 39; cf. etiam „Über den Ajax des Sophocles“ Rh. Mus. III, pag. 55.

2) ad. Aiace. v. 1253.

3) „Opuscula“ VII, pag. 365, 370 sqq.

4) l. l. pag. 371 sqq.

5) Ladewig quoque l. l. pag. 22 complures Sophocleae fabulae partes ab Accio adhibitas esse putat, negat Nieberding l. l. pag. 19.

„ὁ δ' ὑψικόμπως ἀφρόνως ἡμεΐψατο“.

Probabiliter coniungitur etiam

fr. VII: „maior erit luctus cum me damnatum audiet“
cum Aiakis versibus:

762 sqq.: „καὶ ποῖον ὄμμα πατρὶ δηλώσω φανεῖς
Τελαμῶνι; πῶς με τλήσεται ποτ' εἰσιδεῖν
γυμνὸν φανέντα τῶν ἀριστείων ἄτερ“ etc.

„Damnare“ Nonius interpretans significare vult „morti dare“. Sed iure G. Hermann¹⁾ hoc refutavit, cum multo rectius „damnatum“ ad Aiacem a iudicibus repulsum referatur.

fr. X: „virtute sis par, dispar fortunis patris“
ex celeberrimis illis versibus 530 sq.:

„ὦ παῖ γένοιο πατρὸς εὐτυχέστερος
τὰ δ' ἄλλ' ὅμοιος καὶ γένοι' ἄν οὐ κακός“

natum esse luce clarius est.

Iam si revolverimus, quae de posteriore huius fabulae parte cognovimus, assentiemur, si quis Accium Sophoclis Aiacem vertisse contendet²⁾. De priorē autem parte si idem iudicium feremus, quod de Pacuvii Armorum iudicio (cf. pag. 39), vix fallēmur.

Philocteta.

Dissensionem illam de Aeschyleo aut Euripideo huius fabulae exemplo a viris doctissimis institutam (cf. pag. 48) discernere nostrum non est, quibus satis est intellegere, num Sophoclis quoque ratio habita sit. Quod probare studet Ribbeck³⁾, sed fateor mihi quidem virum doctissimum non persuasisse. Recte quidem intellexisse videtur chorum effectum fuisse e Graecis Ulixis comitibus, (cf. fr. I). Sed cum hoc canticum ab Apuleio traditum desideretur in Sophoclis fabula, alium huius argumenti

1) „Opuscula“ VII, pag. 370.

2) Cf. Wulff l. l. pag. 26 sqq.

3) l. l. pag. 376 sqq.

saepissime tractati auctorem adhibitum esse statuendum est. Philocteta autem de Achille eiusque armis inquirens num pertineat ad Sophoclis versus 332 sqq. ipse Ribbeck¹⁾ in dubio relinquit. Nihil igitur de Sophocle affirmaverim.

Neoptolemus.

Continebat haec fabula Neoptolemum Scyro in Achaearum castra deductum cf. praecipue fr. IX:

„tu uti dixi, macte his armis, macte virtutei patris“, quod non intellegitur nisi de armis Achillis filio traditis. Quis Graecus poeta idem argumentum expresserit, nusquam legimus. Welcker¹⁾ vero Dolopes Sophoclis nominavit sic ratiocinatus:

Dolopes tragoedia non alibi atque Scyri, in nota illa Dolopum patria, induci poterant. Scyrus autem bis iustum dramatis locum praebuit, primum cum Achilles, iterum cum Neoptolemus ab illa insula in bellum avocaretur. Atque priorem quidem illam de Achille fabulam cum Sophoclis *Συγίαι* vel *Συγίοι* tractaverint, altera de Neoptolemo fabula Dolopibus impertiatur necesse est.

Mirum autem quod vir doctissimus fundamentum a se iactum ipse diruit, cum Dolopum chorum non ex insulae incolis, sed ex advenis constitisse diceret²⁾. Hoc enim concessio cur Dolopes nullum alium terrarum locum quam Scyrum adiisse credendum sit, equidem non intelligo. Accedunt aliae res, quae Welckeri sententiam infringant. Primum enim eodem iure atque Scyri Dolopes agi poterant in Thessalia, ubi maior huius gentis potentissimae pars sedes habebat, deinde ne id quidem inter omnes constat, utrum Scyriae Achillem an Neoptolemum deductum docuerint. Nimis debili igitur argumento Welcker nititur.

1) l. l. pag. 385.

2) l. l. pag. 140 sqq.

3) l. l. pag. 142.

Non magis Welcker persuadet Phoenicem Sophocleum Accio exemplo fuisse, quod Phoenix alter Dolopum titulus fuerit. Quid enim argumenti haec tragoedia habuerit, utrum illam de Amyntoris paelice fabulam an deductionem Neoptolemi, quem Philostratus minor (Imag. I) non ab Ulixē, sed a Phoenice Troiam accersitum fingit, tribus exiguis fragmentis traditis plane ignoramus.

Itaque ne hic quidem de Sophocle auctore quicquam proficimus.

Deiphobus.

Argumentum huius dramatis haustum est ex Troiae expugnatione. In qua quas partes egerit Deiphobus, compluribus testimoniis certiores fimus.

Conferatur enim Od. VIII, 516 sqq., Verg. Aen. VI, 494 sqq., Quint. Smyrn. XIII, 354 sqq., Tryph. 613 sqq., Arctini *Ἰλίου πέρσις*.

His scriptorum locis, adiunctis fragmentis, quid Deiphobus Accianus continuerit, satis dilucide eruitur. Graeca eiusdem tituli fabula non commemoratur. Sed tamen argumentum Deiphobi Welckero¹⁾ continere videbatur Sophoclis *Ἑλένης ἀρπαγή*, quam fontem fuisse Accianae tragoediae censet. Illudne igitur drama inscriptum erat *Ἑλένης ἀρπαγή*, cui suberat id quod Proclus narrat his:

„*Μενέλαος δὲ ἀνευρών Ἑλένην ἐπὶ τὰς ναῦς κατὰγει, Ἀηΐφοβον φρονεύσας*“?

Minime. Equidem mihi non persuadeo Sophoclem aliud drama titulo illo clarissimo exornasse atque quod Helenam sive a Theseo sive a Paride raptam spectantibus proponeret. Atticam autem illam de Theseo narrationem huc non quadrare Aiakis argumento comprobatur, ubi scriptum legimus:

„*Τὸ δράμα τῆς Τρωϊκῆς ἐστὶ πραγματείας, ὥσπερ οἱ Ἀτηνηγορίδαι καὶ Αἰχμαλώτιδες καὶ Ἑλένης ἀρπαγή καὶ Μέμνων*.“

1) l. l. pag. 158 sqq.

Eodem hoc loco utitur Welcker Brunckium secutus, ut Paridis facinus alienum esse a Sophoclis raptu Helenae demonstret. Dicit enim:

„die Entführung der Helena ist genau genommen nicht
troisch.“

Quam sententiam ut amplectar multum abest. Ne cetera quidem, quae Welcker affert: „neque idoneum esse Helenae raptum a Paride effectum, qui in dramatis formam redigatur, et Aiakis argumenti auctorem talem fabulam primam nominatum fuisse, non immixturum dramatibus posteriores eventus evolventibus, eiusmodi sunt, quibus quis satis confidenter nitatur. Non igitur dubito Sophocleae fabulae funestum illud Paridis scelus attribuere¹⁾).

Restat ut Ribbeckii²⁾ mentionem faciam, quo auctore Sophoclis *Σίνων* Deiphobo Acciano redditur. Continuit haec fabula Troiae incendium, neque vero unius principis Troiani fortunam tam accurate protulisse credenda est, ut iustum Deiphobi Acciani fundamentum praebuerit.

Antenoridae.

Idem titulus memoriae proditur inter Sophoclis tra-goedias, nusquam praeterea. Hanc igitur fabulam. Accio exemplo fuisse conicere absurdum non est, dummodo ne reliquiae et testimonia repugnent. Atque de Sophoclis quidem Antenoridis locus ille argumenti Aiakis supra laudatus (cf. pag. 54) inspiciendus est:

„Τὸ δράμα τῆς Τρωϊκῆς ἐστὶ πραγματείας ὥσπερ οἱ Ἀντηνορίδαι καὶ Αἰχμαλώτιδες καὶ Ἑλένης ἀρπαγὴ καὶ Μέμνων.“

Accedit Strabo XIII, 1, 53:

1) Non magis quam Welckeri propositum suspicio Nauckii (frgg. trag. gr. pag. 171), cui *Ἑλένης ἀρπαγὴ* titulus errore ortus esse videtur ex *Ἑλένης ἀπαιτήσις* probabilis est. Assentitur autem Nauckio Hippenstiel „de Graecorum tragicorum principum fabularum nominibus.“ Diss. inaug. Marp. 1887, pag. 3.

2) l. l. pag. 411.

„Σοφοκλῆς γοῦν ἐν τῇ ἀλώσει τοῦ Ἰλίου παρδαλέαν φησὶ
πρὸ τῆς θύρας τοῦ Ἀντήνορος προτεθῆναι σῆμα βολον τοῦ ἀπόρ-
θῆτον ἑαθῆναι τὴν οἰκίαν· τὸν μὲν οὖν Ἀντήνορα καὶ τοὺς
παῖδας μετὰ τῶν παραγενομένων¹⁾ Ἑνετῶν εἰς τὴν Θράκην
περισωθῆναι· ἀκκεῖθεν διαπσεῖν εἰς τὴν λεγομένην κατὰ τὸν
Ἀδρίαν Ἑνετικὴν τὸν δὲ Αἰνεῖαν μετ' Ἀγχίσον τοῦ πατρὸς
καὶ τοῦ παιδὸς Ἀσκανίου λαὸν ἀθροίσαντα πλεῦσαι· καὶ οἱ
μὲν οἰκῆσαι περὶ τὸν Μακεδονικὸν Ὀλυμπόν φασιν etc.

Narrat omnia haec Strabo, ut diversam de Aenea memoriam exponat. Verum tamen accuratissime enarrat, quid sortis Antenori eiusque filiis Troia capta obtigerit. Id autem eum facturum non fuisse credo, si Sophoclis fabulam sibi proposuisset eam, quae Antenori non gravissimas partes attribueret. Non igitur assentior Iacobsio¹⁾, qui Aiace m Locrum Strabonis exemplum fuisse sibi persuasit, quod pantheris pellem ibi commemorari testantur Schol. Arist. Av. v. 934. Multo verisimilius Strabonis narrationem Sophoclis Antenoridis vindicabimus, quibus solis inter omnes fabulas Sophocleas nobis notas adeo urguntur fata Antenoridis et suorum²⁾, ut Strabonis testimonio postulari videtur³⁾. Iam exquiramus, quae ratio intercedat inter hanc Sophoclis fabulam et Accii Antenoridas. Atque nihil quidem invenimus, quod cognitum de Sophocle redeat apud Accium. Sed

1) περιγενομένων Meinecke.

2) Ttetz. Antehom. 743.

3) Non comprobo A. Schoellium („Beiträge“ etc.), qui inde a pag. 437. evincere studuit Antenoridas Sophoclis fabulam referendam esse ad Iliadis librum XI., ubi duo Antenoridae Agamemnonis manibus caeduntur. Ipse enim vir doctissimus nimis exile argumentum illo loco exhiberi concedit neque elabimur ex his angustiis, si Schoellio duce Antenoridas etiam id continuisse statuimus, quod inter Accii fabulas Nyctegresiae nomine ornatum invenitur. Quid enim lucramur, si suspicionem infirmam suspicionem non minus infirma fulcimus? Habemus vero satis amplum argumentum, quod Antenoridis Sophoclis impertiamus, in ipsa Troiae expugnatione. Cur dubitemus huc Sophoclis fabulam referre?

4) Ἑλένης ἀπαίτησις, ubi Antenor aliquanti momenti est (cf. Iliad. III, 205 sqq.), argumenti si ratio habetur, huc non cadit.

si conectuntur, quae tradita sunt de utriusque poetae tragoe-diis, non inter se repugnant, sed altera tragoedia altera completur, ut opportuno quodam casu a Romano auctore doceri videamur, quid prior Sophoclei dramatis pars continuerit. Accii fragmenti secundi verba:

„namque huc em venio, ut mea ope opes Troiae integrem“ principis cuiusdam esse perspicuum est, qui Troianis auxilio venit. Iam si respicimus Strabonis locum supra citatum, non dubitamus, quin attribuenda sint Henetorum duci.

Eidem impertiam fr. V.

Paucis igitur ut explicem, quid Sophoclis drama complexum sit, initio Heneti Troiam auxilio adveniunt (cf. Accii fragmenta laudata), neque vero funestum interitus diem remove-re possunt. Urbs expugnatur, Antenor Achaeorum benevolentia servatus cum suis et Henetorum reliquiis emigrat (cf. Sophoclem).

Astyanax, Troades, Hecuba.

Troadum titulus comparatis Euripidis Troadibus verisimillimum esse docet fabulae nomen deberi Troadum captarum choro. Cui locus erat tribus post Troiae expugnationem temporibus: primum cum Astyanax de muro detruderetur, deinde cum Polyxena immolaretur, denique cum Hecuba cum Polymestore congrederetur. Astyanactis autem mortem Astyanacte, quae vocatur, fabula tractatam esse clarum est, de Hecuba et Polymestore vix dubitandum est, quin actum sit in Hecuba tragoedia. Restat igitur, ut Troadibus Polyxenam sacrificatam attribuamus (nisi forte Hecuba et Troades duo eiusdem fabulae tituli erant, quam suspicionem Ribbeck¹⁾ repellere conatur). Hoc confirmare videtur fr. II., quod sensum praebet simillimum Talthybii verbis apud Senecam de Achillis umbra Polyxenam repente

1) l. l. pag. 419.

prolatis (Troad. 179 sqq.). Quod vero Ribbeck¹⁾ Troades cum Astyanacte in unam fabulam contrahit, ut et Astyanactis et Polyxenae mortem complexae sint, sas infirmis nititur argumentis. Quin refutatur haec sententia eo quod Nonius, qui omnia Astyanactis fragmenta tradit, ipse quoque fragmenti primi Troadum a Servio servati verba

„saxo fruges frendas“

æ Troadibus affert. Quod cum virum doctissimum non effugiat, eodem fonte et Servium et Nonium usos esse contendit. Sed ne hic quidem a me impetro, ut ambiguum suspicionem alia ambigua suspitione fulciam, praesertim cum viam minus incertam ingredi liceat. Retineamus igitur Polyxenae mortem Troadum argumentum fuisse.

Unde autem fluxerint et Troades et Hecuba et Astyanax iam inquiramus. An ex Euripidis Troadibus et Hecuba? Ne hoc laudemus, monet cum ceterorum Romanorum scenicorum poetarum consuetudo tum Accii. Praecipua enim eorum cura erat, ne nimis exile argumentum audientibus proponerent, qui varietati et copiae rerum gestarum vehementer favebant (cf. pag. 40). Mirum igitur, si Accius duas fabulas tam aptas materiae abundantia, quae Romae docerentur, dissecasset, ut in trium tragoediarum formas redigeret. Quodsi talia fabularum illarum argumenta fuerunt qualia nobis persuasimus, facere non possumus, quin Accium non Euripidi se applicuisse, sed aliunde exemplaria Graeca deprompsisse credamus. Quod cum prorsus confirmetur de Astyanacte, etiam ad ceteras fabulas eiusdem argumenti participes pertinere videtur. Euripides enim Astyanactis mortem exprimens compluribus rebus ab Accii fragmentis discedit:

I.: Accius Calchantem fabulae participem fingit: cf. fr. IV., quo vaticinium datum esse docemur, cui quis vehementer obsistit. Hoc vaticinio quid imperatum sit cognoscere licet ex Servio (Verg. Aen. III, 489): Calchas

1) l. l. pag. 416.

cecinit deiciendum esse ex muris Astyanactem, Hectoris et Andromachae filium, ideo quod, si adolevisset, fortior patre futurus eius interitum vindicaturus esset (cf. Sen. Troad. 532 sqq.). Euripides contra Calchantis nusquam mentionem facit, sed Ulixes suadet, ut Astyanax e medio tollatur (cf. Troad. 721).

II. fr. X:

„itera, in
quibus partibus (namque audire volo,
si est, quem exopto) et quo captus modo,
fortunane an forte repertus“.

Ex Seneca (cf. Serv. ad. Verg. Aen. IV, 489) intellegimus puerum ab Andromacha occultatum ab Ulixee investigatum esse. Eodem referendum est fragmentum X, ita tamen, ut non Ulixes ipse puerum reppererit, sed repertum eum esse certior factus sit¹⁾. Apud Euripidem vero neque Ulixes agens inducitur neque Astyanax subripitur. Ne Talthybii quidem verba, quibus Hecuba monetur, ne fato se opponat (Troad. 725 sqq.), huc quadrant, quoniam illic vis, hic dolus dissuadetur. Luculentum igitur est Accium Euripidis vestigia non pressisse. Idem affirmadum videtur de Seneca, quem pari fabulae atque Accium se adiunxisse Leo²⁾ existimat. Quamquam etiamsi haec opinio accipiat, concedendum est Senecam illud de Astyanacte reperto institutum mutasse.

Verum cum nusquam Astyanax Graecus commemoretur, Euripide reiecto dubium fit, cui Graecae fabulae Accii Astyanactis impertiamus. Atque Welckero quidem Sophoclis *Αἰχμαλώτιδες* adhibitae videbantur, quas manifesto ad Astyanactis mortem alludere pro certo habebat. Fragmentum enim XXXII:

„ἀσπίς μὲν ἡμίλιγδος ὥς πυκνώματι“

referendum esse ad Hectoris clipeum, qui sagittis perforatus cribro similis fuisset; in quo cum Astyanax sepultus esset

1) cf. Welcker l. l. pag. 173.

2) Editio tragoed. Senec. pag. 172.

(cf. Eur. Troad. 1136 sqq.) elucere quo id fragmentum pertineret. Quae coniectura quam sit incerta, per se patet. E ceteris fragmentis Captivarum nihil lucramur, neque Aiacis argumentum supra commemoratum (cf. pag. 54.) quicquam praebet, cum fabulas confuso ordine enumeret. Quo fit ut viri docti plane inter se discrepent, quod argumentum fuerit Captivarum, velut fuerunt, qui Chryseidem a patre repetitam in ea fabula fuisse contenderent¹⁾. Leo²⁾ quamquam vix recte argumentatum esse Welckerum intelligit, tamen ad eius opinionem se applicat. Nam quandoquidem Troadibus Accius Sophoclis Polyxenam verterit, Astyanactis mortem Captivis satis dignam praebere materiem. Equidem it tantum dixerim: Non improbable videtur Captivas Sophoclis Astyanactis mortem continuasse. Itaque cum nullam³⁾ praeterea eiusdem argumenti fabulam Graecam noverimus, suspicandum est hanc pro exemplo Accio fuisse⁴⁾.

Jam quaeramus, cuius pedisequus Accius duabus ceteris fabulis fuerit.

Aristoteles (*περὶ ποιητικῆς* c. 18) graviter invehitur in eos, qui nimis multas res gestas in una fabula coacervare student, ut *τραγῳδία πολύμυθος* vel *ἐποποιικὴ* oriatur. Consentaneum est hanc artem depravatam, quae Romanorum poetarum mori plane respondet, non integrae et florentis Graecae tragoediae temporibus irrepsisse, velut ipse Aristoteles recentiore poetam huius consuetudinis exemplum nominat: Agathonem. Eodem studio natae sunt Euripidis Troades et Hecuba. Neque probabile est post has fabulas compositas ausum esse quemquam eandem materiem tractantem ad

1) cf. A. Schoell („Beiträge etc.“ pag. 231, Adn. 139).

2) l. l.

3) Utrum Aeschyli verba scholiis ad Arist. Ran. 1431 nota (fr. 452):

„οὐ κρὴ λέοντος σκύμνον ἐν πόλει τρέφειν“

ad Astyanactem pertineant necne, dubium est; cf. Welcker „diurn. schol.“ a. 1831 et „Gr. Tr.“ pag. 89; G. Hermann „Opusc.“ VIII, pag. 135 sqq. etc.

4) cf. pag. 61 initio; quae ibi dicuntur, hic quoque locum habent, dum *Αἰχμαλώτιδες* post Troiae exitium actae sint.

sinceram et simplicem priorum temporum consuetudinem redire. Quoniam igitur Accius Euripidis tragoedias rebus gestis confertas reformidans triplex illud fatum, quo opprimuntur Astyanax, Polyxena, Hecuba et Polymestor, tribus fabulis reddidit, recentiore exemplo eum ductum esse non existimo. Nullum autem, quod priorum usque ad Euripidem poetarum Graecorum drama huc pertineat, compertum habemus praeter Sophoclis Polyxenam¹⁾, cum Aeschylus Arctini *Ἰλίου πέποιν* omnino neglexisse videatur. Verisimile igitur est Accii Troades ex Sophocle fluxisse.

Atque adiuvamur Senecae tragoediis. Recte enim Leo²⁾ animadvertit Hecubam Senecae non solo Euripide niti. Vix autem dubitare licet, quin omnes Senecae fabulae aut ex Aeschylō aut ex Sophocle aut ex Euripide depromptae sint. Quid? Nonne Senecam, quandoquidem aliud drama praeter Euripidis Troades et Hecubam adhibuit, Sophoclis *Πολυξένην* sibi proposuisse credendum est? Hausta autem videntur ex illa alia fabula Sen. Hec. vv 179 sqq., quos coniungendos esse demonstravimus cum Accii Troadum fragmento secundo³⁾. Itaque sic quoque Accii tragoedia ad Sophoclis *Πολυξένην* annectitur.

De Hecubae fonte iudicium ferre, cum omnibus cognoscendi auxiliis egeamus, vetamur.

Eurysaces.

Idem recurrit Sophoclis titulus apud Hesychium (I, pag. 47), si quidem recte restituit Musurus lectionem corruptam *ευρησα*^x. Nihil tamen inde lucramur, quod Hesychius unius vocabuli, quod est *ἀδόξαστον*, auctor extitit. Satis igitur habeamus statuere, dum composuerit Sophocles Eurysacem, non absurdum esse Accianam fabulam eo referre,

1) De Captivis cf. pag. 59.

2) l. l. pag. 172 sqq.

3) cf. pag. 57.

quod nullius praeterea Graeci poetae Eurysaces commemoratur¹⁾).

Oenomaus.

Agitur hoc dramate de Pelopis et Oenomai certamine. Idem docuit Sophoclis *Οινόμαος ἢ Ἰπποδάμεια* (cf. fr. 435). Etiam Euripides *Οινόμαον* scripsit, cui cur hanc materiem non vindicemus non habemus, quamquam sententiae florilegiis inde traditae nihil certi praebent. Utram fabulam Accius usurpaverit, ambiguum est. Welcker²⁾ et Ribbeck³⁾ Sophocli favent, Hartung⁴⁾ Euripidi. Sed cum inde ab Ennio Euripidis auctoritatem paullatim minutam, Sophoclis auctam esse cognoverimus, haud scio an illis assentiendum sit.

Atreus.

Sophocli se applicans scholiasta Euripideus (ad Orest. 812) narrat cum alia tum haec:

„Θνέστις δὲ λαβὼν τοῦτο (sc. τὸ χρυσοῦν ἀρνίον) καὶ δείξας τοῖς δικασταῖς τῆς ἀρχῆς ἐκράτησε. μὴ ἀνασχόμενος οὖν Ἀτρεὺς τὴν συμφορὰν καὶ δυσχεραίνων, ὅτι ἀδίκως ἐστέρηται τῆς ἀρχῆς, ὁμοῦ τε τὴν γυναῖκα Ἀερόπην τιμωρεῖται κατ' ἄμφω, καὶ ὅτι ἐμοιχεῖτο Θνέστη καὶ ὅτι κέκλοφε τὸ ἀρνίον καὶ δέδωκεν αὐτῷ, ῥίψας αὐτὴν εἰς θάλατταν, ὥς φησι Σοφοκλῆς, καὶ τοὺς τρεῖς υἱοὺς τοῦ Θνέστων, Ἀγλαόν, Ὀρχομενὸν καὶ Κάλειον ἀποκτείνας παρέθνηκεν εἰς τράπεζαν τῷ πατρὶ, καὶ αὐτὸν ὕστερον ἀπέκτεινεν.“

Ex his apparere videtur Sophocle auctore Thyestem non in exilium missum esse, sed cum Aeropa poenas illas diras solvisse, ubi primum Atreus regnum recuperavisset. Nam satis dilucide hoc exprimi credo verbis his:

1) Ne L. Müller quidem („de Accii fabulis“ pag. 34) abnuat hanc opinionem; A. Schoell („Beiträge“ etc. pag. 623 sqq.) Accii Eurysacis aequae ac Pacuvii Teucrici originem ex Sophoclis Teucro duxit.

2) l. l. pag. 352.

3) l. l. pag. 441.

4) „Eur. rest.“ II, pag. 104.

„μὴ ἀνασχόμενος οὖν Ἀτρεὺς τὴν συμφορὰν ὁμοῦ
τε τὴν γυναῖκα Ἀερόπην τιμωρεῖται καὶ τοὺς τρεῖς
υἱοὺς τοῦ Θυέστον . . . ἀποκτείνας παρέθνηκεν . . .

ut Welckerum¹⁾ recte vidisse negem, qui Aeropam in mare deiectam filiosque Thyesti edendos propositos esse ratus est non prius quam Thyestes ex exilio rediisset.

Ab hac fabulae versione, qua Thyestis expulsi et redeuntis rationem non haberi intelleximus, alienus est Accii Atreus. Probatur enim reliquiis huius tragoediae novum inter fratres ortum esse certamen, cum Thyestes domum revertisset (cf. fr. III).

Hac compositionis differentia adeo inter se dissentiunt Sophoclis et Accii dramata, ut alterum alteri exemplo fuisse non possit¹⁾. Sed nondum ad finem pervenimus. Scripsit scholiasta:

„καὶ αὐτὸν ὕστερον ἀπέκτεινεν“.

Ὑστερον autem, quod legitur, vocabulum dubitationem movet, utrum scholiasta hoc quoque facinus commissum invenerit in eodem illo Sophoclis dramate an aliunde petitum addiderit. Sed tantum abest ut alio loco huius caedis mentio fiat, ut Atreum a Thyeste et Aegistho occisum esse tradatur. Ne fieri quidem poterat, ut Thyestes ab Atreo trucidatus alibi proponeretur, si modo ceteri poetae aut Aeschyli (Agamemn. 1587) aut Hygini (fab. 88) versionem secuti sunt, qua Thyestes filios comedisse fingebatur, postquam aut sua sponte aut ab Atreo revocatus Atræi domum iniit. Nam hospitem interficere Atreus deorum timore vetatur (cf. Aesch. Agam. 1589). Sophoclem vero, qui Thyestem non expulsum posteaque redeuntem docuit, nihil impediēbat, quin Thyestem morte poenas solventem proponeret. Quo fit ut ὕστερον idem significare interpreter

1) l. l. pag. 365.

2) Proposuerunt igitur vici docti Euripidis Κρήσσης aut Θυέστην; cf. Düntzer (Zeitschr. f. d. Altertumswiss.“ 1839 pag. 292); Hartung („Eur. rest. I, pag. 171“); Teuffel l. l. pag. 21. Welcker vero l. l. pag. 358 Sophoclem retinet.

atque *μετὰ τὰντα* i. e. post cenam foedam et Thyeste occiso Sophoclis tragoediam finem fecisse affirmem. Iam quid hoc ad fabulam Accianam pertineat videamus. Ribbeck ¹⁾ opinatus est fragmentum XVIII:

„ecquis hoc animadvortet? vincite!“

Atreo attribuendum esse, qui Thyestem in vincula conici his verbis iuberet. Neque habeo cur non assentiar viro doctissimo. Non igitur Thyestem iterum expellere in animo habet Atreus Accianus, sed vinctum retinere. Cur autem hoc faciat, nisi ut morte fratris insidias eius extinguat? Itaque eundem fabulae finem posuit Accius atque Sophocles. Atque cum ceteroquin illo auctore se abstinuerit, contaminasse videtur et illam, quam sibi exemplo assumpsit, tragoediam Graecam et finem huius Sophocleae, quod adulteri et parricidae poenam morte augeri deceret.

Pelopidae.

Exiguae, quae sunt, reliquiae etsi probare videntur argumentum fuisse Thyestem et Aegisthum poenas ab Atreo exigentes (cf. fr. VI, ubi de coniugis morte verba fiunt; de mythō inspiciatur etiam Hygini fab. 88), tamen de Graeca fabula adhibita nihil scimus. Nam fuerunt quidem, qui hanc vel illam Graecam tragoediam fontem appellarent, velut Ladewig²⁾ et Hartung³⁾ Euripidis Plisthenem, L. Müller⁴⁾ aliquem Euripidis sectatorem. Sed cum supra (cf. pag. 11) exposuerimus hoc argumentum et ab Euripide et a Sophocle abhorreere neque quicquam de ceteris Graecis auctoribus affirmare possimus, confitendum est Graecum Pelopidarum exemplum nobis ignotum esse.

1) l. 1 pag. 455 sqq.

1) l. 1. pag. 38.

2) „Eur. rest.“ I, pag. 543.

3) „de Accii fabulis“ pag. 52.

Agamemnonidae. Erigona.

Erigonae fr. IV—VI. demonstrant sumptam esse hanc tragoediam ex Argivis fabulis. Fuit igitur Erigona non Icarii, sed Aegisthi et Clytaemnestrae filia. De qua certiores fimus Hygini fabula 122, ubi legimus: „Mycena venerunt et Aleten Aegisthi filium Orestes interfecit et Erigonam ex Clytaemnestra et Aegistho natam voluit interficere, sed Diana eam rapuit et in terram Atticam sacerdotem fecit“. Hoc argumento Accii fabulam niti Welcker¹⁾ coniecit, Agamemnonidas vero ad priorem Hygini fabulae partem annexuit, qua quid Delphis factum sit narratur. L. Müller²⁾ quoque propriam utrique titulo tragoediam vindicavit, ut Erigona Mycenis, Agamemnonidae Delphis actae essent. Monet vero Ribbeck³⁾ neque priorem neque posteriorem narrationis Hygini partem tantum materiae praebere, quantum iustum drama desideret. Duos igitur eiusdem tragoediae titulos esse Erigonam et Agamemnonidas⁴⁾. Non prave hoc conclusum videtur, praesertim cum saepius apud poetas Romanos dramata duobus nominibus exornata invenerimus. Quid autem Ribbeck hanc tragoediam Delphis locum habuisse affirmat, quo non modo Orestes, Iphigenia, Electra, sed etiam Aletes et Erigona convenissent, aliter me sentire fateor. Neque enim Delphis Erigonam tanti momenti fuisse credo, ut aptum dramatis titulum exhiberet, sed Electram aut Iphigeniam. Quo fit, ut Mycenae adducamur. Atque Electram fabulam si respicimus, verisimillimum fit piam et innocentem scelestorum parentium filiam domi eam egisse personam, ut tota fabula in ea niteretur. Non minus huc quadrat Agamemnonidae qui traditur titulus. Optime enim ea fabula, qua tres Agamemnonis liberi coniuncti tandem aliquando in paternum

1) l. l. pag. 216.

2) „de Accii fabulis“ pag. 5.

3) l. l. pag. 469 sqq.

4) Etiam Tenffel l. l. pag. 19 et Grottemeyer l. l. pag. 56 utramque tragoediam inter se coniungunt.

regnum restituuntur, hoc nomine ornatur. Videmus etiam titulis ipsis nos moneri, ut Erigonam et Agamemnonidas unam fabulam Mycenis actam esse statuamus.

Inter Graecos titulos nobis servatos leguntur:

Sophoclis *Ἀλήτης* et *Ἡριγόνη*,

Lycophronis *Ἀλήτης*,

Phrynichi, Philoclis, Cleophontis *Ἡριγόνη*.

Atque Aleten quidem Hygini fabulae argumentum habuisse manifestum est. De Erigona vero iudicium ferre vetamur, cum dubium sit, utrum agat de Icarii an de Aegisthi filia¹⁾. Ne verisimile quidem est Accium Sophocle neglecto ad Phrynichum vel Philoclem vel Chleophontem accessisse. Eadem ratiocinatione si utimur de eis fabulis, quae Aletes appellantur, reiecto Lycophrone Sophoclis Aleten exemplar Graecum Accii statuimus, praesertim cum fragmentorum comparatio si non certum huius rei testimonium praebet tamen probabilitatem augeat. Nam Soph. Alet. fr. 100 et Accii Erig. fr. II. utrumque idem quaerens, utrumque, ut videtur, ab Aleta prolatum haud scio an inter se respondeant.

Antigona.

Derivata est haec fabula ex Sophoclis Antigona, de qua re inspiciatur Ribbeck²⁾.

Fabulae Alcmeonis fata continentes.

Longa de Amphiarae eiusque filio narrationum series nobis traditur (cf. Apollod. III, 6, 2 sqq.):

Eriphylae proditio Amphiaraus cogitur cum Polynice contra Thebas arma movere, quod sibi funestum fore haud ignorat. Itaque patre mortuo Alcmeo filius cum Thebis

1) Welcker Sophoclis Erigonam alterum Aletae titulum esse indicat.

2) l. l. pag. 483 sqq.

expugnatis domum reverterit, patris monitis obsequens matrem interficit, qua caede commissa exsulis vitam degit. Atque diu vagatus primum e Tiresiae filia Amphilochem et Tisiphonam gignit, quam nescius ipse postea servam emit. Deinde apud Phegeum, Psophidis regem, moratur, cuius filiam Arsinoën (a Paus. VIII, 24, 8 Alpheisiboea nominatur) in matrimonium ducit, denique apud Acheloum, qui ei Callirrhoen filiam dat. Tandem vero a Phegei filiis per insidias occiditur, quos Alcmeonis et Callirrhoae filii ulciscuntur.

Perspicuum fit vel hac exili enumeratione, quot fabularum argumenta cum Amphiarao tum Alcmeo tragicis poetis obtulerit. Neque illi neglexerunt materiem datam Nam novem poetarum Graecorum quindecim dramatum inde haustorum vel nomina vel fragmenta tradita sunt. Inter Romanos autem praeter Ennium, qui Alcmeonem composuit, unus Accius has res attigit, cui hi tituli debentur: Epigoni, Eriphyla, Alcimeo, Alpheisiboea. Epigonos a Sophocle originem ducere demonstrat Cicero de opt. gen. or. VI, 18:

„nec Andromacham aut Antiopam aut Epigonos latinos reiciunt, sed tamen Ennium et Pacuvium et Accium potius quam Euripidem et Sophoclem legunt.“

Andromacha enim et Antiopa ex Euripide fluxerunt, illa Varrone (de l. l. VII, 82), haec Cicerone (de fin. I, 2, 4) teste, ut Sophocli soli Epigoni maneant. Huius autem Epigoni quid continuerint, tribus fragmentis inde traditis non evincitur. Id unum cognoscitur fr. 187:

„ὦ πᾶν σὺν τολμήσασα καὶ πέρα, γύναι,
κάκιον ἄλλ' οὐκ ἔστιν οὐδ' ἔσται ποτὲ
γυναικός, εἴ τι πῆμα γίγνεται βροτοῖς“.

Eriphylae maledicere videri. Summi autem hanc mulierem momenti in nostra fabula fuisse Accii reliquiis comperimus. Conferatur enim:

fr. IX: Eriphylae Demonassam filiam alloquitur;

fr. VI: Alcmeo nondum a matre patris mortui poenam exegit;

fr. X: Alcmeo patrem ultus est.

Itaque Epigoni Alcmeonem proposuerunt ab Eriphyla proditiōnis poenas exigentem. Id autem scelus factum est non postquam Alcmeo Thebis domum revertit, sicut Apollodorus l. l. narrat, sed cum Accii fragmentis I—II Epigonos nondum Thebas profectos esse coarguatur, ante quam secunda illa contra Thebas expeditio moveretur. Concedo aliquid difficultatis inde oriri. Iure enim L. Müller¹⁾ in dubium vocat, utrum homo matris sanguine maculatus Epigonorum dux existere potuerit necne²⁾. Atque quoniam fragmenta I. et II. luce clarius est ante illam expeditionem prolata esse, vir doctissimus Epigonos proposuisse affirmat Alcmeonem nova Eriphylae proditiōne adductum esse, ut belli particeps fieret. Sed si Accii fragmenta VI et X supra commemorata respiciemus, Epigonis eam materiam attribuemus, quae si non de tempore tamen de re ab Apollodoro memoriae proditur.

Talem autem fabulam eodem si non maiore iure inscribere licebat Alcmeonem vel Eriphylam. Nec desunt haec nomina inter titulos nobis servatos. Nominatur enim Sophoclis *Ἐριφύλη*, quae ipsa quoque de Alcmeone et Eriphyla agebat cf. Prov. cod. Ath.³⁾ et Prov. append. III, 35.

Atque cum fieri non posse existimem, ut Sophocles duas inter se diversas de Alcmeone et Eriphyla tragoedias composuerit, Sophoclis Eriphylam idem drama esse mihi persuasi atque Epigonos. Nec magis ex Accianis, qui sunt Alcmeo et Eriphyla, titulis Eriphylam ad Epigonos referre dubito, quamquam ex uno loco inde servato non elucet, quid haec fabula complexa sit.

Pluribus vero de Alcmeone Acciana fabula agere cogimur. Quae quid continuerit docet fr. IV.:

„qui ducat cum te socerum viderit
generibus tantam esse impietatem?“

1) „De Accii fabulis“ pag. 28.

2) Ne Grottemeyer quidem (l. l. pag. 48) a se impettraverat, ut hoc fieri potuisse crederet.

3) In Milleri „Mél. de litt. gr.“ pag. 363.

Illum enim Phegeum, hunc Alcmeonem esse conspicuum est, qui quam impie in socerum et uxorem egerit, ex Apollodori narratione cognoscitur. Alcmeonis igitur ab Acheloo reditum et praematuram mortem Accius nostra tragoedia expressit.

Apud Graecos poetas Ἀλκμέων titulus octies redit. Euripidis autem fabulae Ἀλκμέων ὁ διὰ Κορίνθου et Ἀλκμέων διὰ Φωγίδος ab Acciana alienae sunt, illa titulo, haec fragmento 72 teste, quo hanc tragoediam de priore ad Phegeum itinere egisse certiores fimus. Idem proposuisse credendus est Theodectis Ἀλκμέων collato Aristotele (Rhet. 2, 23, pag. 1397, b, 3 = fr. 2). Astydamantis vero Alcmeonam Corinthi locum habuisse probabile fit e loco Aristotelis περὶ ποιητικῆς c. 14:

„ἔστι δὲ πρᾶξαι μὲν, ἀγνοοῦντας δὲ πρᾶξαι τὸ δεινόν, εἰθ' ὕστερον ἀναγνωρίσαι τὴν φιλίαν, ὥσπερ ὁ Σοφοκλέους Οἰδίπους· τοῦτο μὲν οἶν ἔξω τοῦ δράματος· ἐν δ' αὐτῇ τῇ τραγωδίᾳ, οἷον ὁ Ἀλκμέων ὁ Ἀστυδάμαντος ἢ ὁ Τηλέγονος ὁ ἐν τῷ τραυματίᾳ Ὀδυσσεῖ.

Nihil cognitum habemus de fabulis Agathonis, Nicomachi, Euareti. Restat igitur Sophoclis Ἀλκμέων.

Verba autem inde servata (fr. 104):

„εἰθ' ἐν φρονήσαντι εἰσίδοιμί πως φρενῶν
ἐπήβολον καλῶν σε“

Alcmeonem nondum furias persequentes effugisse demonstrant. Expiatur vero primum a Phegeo, iterum ab Acheloo, cuius filiae precibus adductus funestum illud alterum ad Phegeum iter ingreditur. Itaque etiamsi fragmentum laudatum ad posteriorem expiationem referamus, nimis longum temporis spatium complectatur id drama, quod et verba supra laudata et Alcmeonis mortem contineat. Quo fit, ut Sophoclem aliam materiem atque Accium tractasse intelligamus.

Cui autem verba Sophoclea impertiri possunt nisi Alpheisiboeae? Quae talia exoptasse credenda est aut cum Alcmeo furiis agitatus ad Phegeum patrem advenit aut cum nova expiatione egebat, ut terrae sterilitas amoveretur. Et hoc et illud si statuitur, expiationem illam aut a Phegeo

aut ab Acheloo patratam dramatis partem effecisse persuasum habeo. Sed locis longe inter se sepositis actus esset Ἀλκμέων, si initio Alpheisiboea Psophide illa verba edidisset, postea Alcmeo apud Acheloum moratus esset. Itaque idem fere argumentum Sophoclis tragoedia habuit atque Euripidis Ἀλκμέων διὰ Ψωφίδος.

Inde autem evincitur ne Alpheisiboeam quidem Accianam Sophoclis vestigia pressisse. Liberorum enim cum mentio fiat fragmento VIII., fabula Acciana ab illo, quod enucleavimus, argumento Sophocleo aliena est. Utrum Alpheisiboea fabula cum Alcmeone conectenda sit, id quod statuerunt et Bothe¹⁾ et Welcker²⁾, an ab eo segreganda, id quod Ribbeck³⁾ sibi persuasit, diiudicare nostrum non est.

Ad finem pervenimus quaestionis de eis fabulis Accianis institutae, quibus fata Alcmeonis expressa sunt. Id autem demonstrasse nobis videmur priorem partem, quam 'Alcmeonem et Eriphylam' inscribere nobis liceat, depromptam esse ex Sophocle, alteram aliunde fluxisse.

Amphitruo.

Non ita paucae sunt reliquiae huius dramatis, sed adeo obscurae, ut fieri potuerit, ut tres de argumento opiniones existerent:

Ribbeckio⁴⁾ Comaethonis proditio tractata videbatur, Hartung⁵⁾ et A. Schoell⁶⁾ fabulam ad Euripidis Herculem referunt,

Welcker⁷⁾ Amphitruonem Alcmenam in matrimonium ducturum proposuit. Hausisse autem Accium affirmat

1) Rh. Mus. V, pag. 252.

2) L. I. pag. 279.

3) l. I. pag. 501 sqq.

4) l. I. pag. 555.

5) „Soph. Fragm.“ Lips. 1851, pag. 149 sqq.

6) „Des Sophocles Werke verdeutscht“ fasc. VIII: „Trachinierinnen“ pag. 256 sqq.

7) l. I. pag. 371.

ex Sophoclis Amphitruone, quamquam haec fabula quid continuerit non minus obscurum est quam quid Acciana. Itaque cum neque illi viri docti neque Welcker causis satis gravibus sententiam suam defendant, cui assentiendum sit, cognosci nequit.

Ergo in dubio relinquamus necesse est, quis Graecus Accii auctor fuerit.

Persidae

quoque quo referantur, plane ignoramus. Ribbeck¹⁾ autem Persidas alterum Amphitruonis titulum fuisse existimat.

Heraclidae.

Ne id quidem certum est, utrum Accius fabulam hoc nomine inditam composuerit necne²⁾.

Athamas.

Eisdem difficultatibus implicamur hanc fabulam atque Amphitruonem examinantes. Quid enim de Graeco Accii exemplo iudicemus, cum cognoscere vetemur, quod tragodiae Romanae argumentum fuerit? Proposuerunt Welcker³⁾, Hartung⁴⁾, L. Müller⁵⁾ Sophoclis *Ἀθάμαντα στεφανηφόρον*, Ladewig⁶⁾ *Ἀθάμαντα μαινόμενον*, Ribbeck⁷⁾ Hygini (poet. astron. 20, pag. 466 St.) narrationem. Quae autem sententia praefenda sit perspicere me non posse fateor.

Medea. Argonautae.

Medeam et Argonautas titulos eandem tragoediam indicare intellegitur ex Nonio 90, 6 et Prisciano (de metr. Ter. pag. 1325 cf. gramm. latt. Keilii III, pag. 424), quorum

1) l. l. pag. 557.

2) Cf. Ribbeck l. l. pag. 560 sqq.

3) l. l. pag. 323.

4) „Soph. Fragm.“ pag. 85.

5) „de Accii fabulis“ pag. 23.

6) l. l. pag. 28.

7) l. l. pag. 526.

hic Accianum quendam locum ex Argonautis, ille ex Medea haustum monet¹⁾. Tamen segregantur a Welckero²⁾ cui Argonautis Aeschyli Ἀργῶ ἢ κωπευσταί adhibita, Medea autem idem tractatum videtur atque Pacuvii Medo³⁾. Quam sententiam ut amplectatur, adducitur fragmenti XVI. verbis:

„pernici orbificor liberorum leto et tabificabili“,
quae cum morbum perniciosum significant ad Hygini fab. 27.
verba:

„ubi sterilitas et penuria frugum dicitur fuisse“
pertineant. Nam ubi λιμός sit, ibi esse etiam λοιμόν. Sed cum neque sterilitate pestem oriri necesse sit et Nonii Priscianique testimonium distincte Medeam et Argonautas conectat, facere non possum, ut Welckerum sequar. Quid autem argumenti Acciana fabula habuerit, difficillimum est intellectu. Nam quamquam permulti inde traditi sunt loci, tamen adeo sunt obscuri, ut mirum non sit, quod variae de argumento sententiae a viris doctis prolatae sunt. E quibus afferatur:

Grote meyer⁴⁾, qui respecta Hygini fabula 23. Medeam Accianam in insulam Phaeacum relegat,

Ladewig⁵⁾, cui Accii fabula in Colchide acta videtur, ut argumentum ex Sophoclis Colchidibus mutuatum sit⁶⁾,

Ribbeck⁷⁾, qui ad Istri ostium Medeam locum habuisse⁸⁾ et Sophoclis Σκύθας, quam ibidem collocat, expressisse proponit.

Quis verum viderit, ne probabiliter quidem dici potest. Utrum igitur Sophoclis aliqua tragoedia ab Accio conversa sit necne, affirmare nequeo.

1) Cf. Cic. de nat. deor. II, 35, 89.

2) l. l. pag. 51.

3) Cf. eiusdem l. l. pag. 1215.

4) l. l. pag. 40.

5) l. l. pag. 17. sqq.

6) Nieberding quoque l. l. pag. 3. Colchides Sophoclis ad nostram fabulam refert, praeterea Euripidis Medeam.

7) l. l. pag. 528 sqq.

8) Eadem opinione est Teuffel l. l. pag. 24.

Tereus.

De duabus, quae de Terei rebus gestis ferebantur, versionibus verba fecimus, ubi de Livii Tereo disputavimus (cf. pag. 14.). Utra redeat apud Accium testatur fr. III:

„o suavem linguae sonitum! o dulcitas conspirantium animae!“

quo eum neglecta Livii fabula ad Ovidii (Met. VI, 412 sqq.) narrationem accessisse certiores sumus. Atque conspirat cum Acciano Sophoclis *Τηρέυς*, cf. Aristot. *περί ποιητικῆς* c. 16: „ἐν τῷ Σοφοκλέους *Τηρεῖ* ἡ τῆς *κερκίδος* *φωνή*“.

Iure autem Ribbeck¹⁾ monet addito Sophoclis nomine evinci fuisse Graecos poetas, qui hanc materiem tractantes aliam *ἀναγνώρισιν* instituerent. Iam quoniam et Sophocles et Accius eandem viam ingressi sunt, illum huius fontem fuisse verisimile est. Quin etiam haud scio an longius progressi pro certo affirmare possimus Sophoclem Accio exemplo fuisse, dum Aristotelem uno Sophocle nominato eum unum huius versionis tragicum auctorem significasse ponamus.

Alcestis.

G. Hermann²⁾, cui etiam Ribbeck³⁾ assentiri videtur, Phrynichi Alcestidem ab Accio expressam esse existimat. Quam sententiam ut comprobem, multum abest. Iure enim Welcker⁴⁾ credibile non esse animadvertit Romanum poetam obsoletas Phrynichi fabulas, quae imperfecta arte et nimia carminum abundantia idoneae non essent, quae verterentur imitatum esse. Ne Euripidi quidem se applicuisse credendus est. Nam cum Euripidis Alcestis satyrici dramatis locum obtinens severo aliquotiens tragoediae more relicto ludibundum et laetum genus attingeret, Accius tragicus poeta hanc

1) l. l. pag. 89.

2) Edit. Alcest. Eur. prooem. pag. XVI.

3) l. l. pag. 551.

3) l. l. pag 346 sqq.

fabulam reformidare debebat¹⁾. Idem probat fragmentum traditum:

„cum striderat retracta rursus inferis“.

Repugnat enim hic versus Euripidis Alcestidi, ubi Hercules ad Alcestidis sepulcrum cum Morte luctans uxorem fidam marito recuperat, consentit cum sarcophago Ostiensi A, in quo Herculos Alcestidem ab inferis reducens depingitur. Videmus igitur percubuisse apud antiquos duas de hac fabula versiones, quarum alteram Euripides tractavit, alteram is poeta, quem Accius secutus est. Hunc autem Sophoclem fuisse Welcker²⁾ conicit. Plutarchi enim in libro eo, qui inscribitur *περὶ ἐκλελοιπότων χρηστηρίων*, verba (c. 15):

„ὁ Σοφοκλέους Ἀδμητος

‘οὐμὸς δ’ ἀλέκτωρ αὐτὸν ἦγε πρὸς μύλην’“

ex Alcestide fabula hausta esse putat. Hanc vero, si fuit, Alcestidis mortem in scenam protulisse manifestum est. Nam cum illo fragmento Alcestidem uxorem esse coarguatur, alienum est hoc drama ab eo, in quo Apollo Admeto Alcestidis matrimonium conciliet. Idem igitur argumentum attribuendum est Sophoclis Alcestidi atque Accii: Neque dubitarem statuere Accianam tragoediam ex Sophoclea originem duxisse, si Welcker Sophoclem tale drama composuisse satis dilucide demonstravisset. Quod ut efficeret, cum ei non contigisse appareat, certum de Alcestidis Accianae auctore Graeco iudicium ferre nequeo.

Andromeda.

Praetermisso Ennii exemplo Accium aliam atque Euripidis Andromedam Graecam tragoediam imitandam sibi sumpsisse reliquiae docent. Hanc autem Sophoclis Andromedam fuisse vix affirmaverim. Nam praeterquam quod ex fragmentis nihil lucramur ne id quidem satis inter omnes constat, utrum Sophoclis Andromeda tragoedia an satyricum drama fuerit (cf. pag. 13).

1) Hac ratiocinatione ductus etiam L. Müller („de Accii fabulis“, pag. 8) Alcestidem Accianam ab Euripide auctore abiudicat.

2) l. l. pag. 345.

V i t a.

Natus sum Paulus Gensel die XI. mensis Aprilis a. 1870 in urbe quadam Saxonica, cui nomen est Rochlitz, patre Brunone, matre Clara e gente Knorr, quibus superstibus gaudeo. Fidem confiteor evangelicam. Auctumno a. 1879 cum parentes Berolini sedem collocassent, vere a. 1880 gymnasii Ascanii discipulus receptus sum, quod W. Ribbeckio direttore floret. Inde maturitatis testimonium adeptus vere a. 1888 universitatis Berolinensis civibus ascriptus sum, ut studiis philologicis et historicis operam navarem. Docuerunt me usque ad ver a. 1892 viri doctissimi Vahlen et Kirchhoff, quorum auspiciis seminario philologico per ter senos menses interfui. Praeter hos aditum mihi dederunt vv. dd. Diels, Dilthey, Döring, de Gizycki, Hirschfeld, Hübner, Köhler, Koser, Lenz, Marcks, Paulsen, Robert, Rothkirch, Sternfeld, de Treitschke, Zeller. Per octies senos menses societatis academicae philologicae sodalis fui. Vere anni 1893 examen pro facultate docendi subii, quo perfecto inde a mense Octobri stipendia absolvi. His peractis mense Octobri a. 1894 seminario illi traditus sum, cui Kübler, gymnasii Guilelmi Berolinensis director, praeest.

Thesen.

I.

Cic. ad Att. epist. IV, 3,5 pro „nova quaedam divina mitto“ scribendum est „nova quae iam divino mitto“.

II.

Antiph. Tetral. A, γ, 3, ubi legitur „τοὺς μὲν γὰρ ὁ τε φόβος ἢ τε ἀδικία ἱκανῇ ἦν παῦσαι τῆς προθυμίας“, cum Reiskio inter ἀδικία et ἱκανῇ inserendum est οὐχ.

III.

Ovid. fast. I, 26 scribatur
„auspicio hoc felix totus ut annus eat“.

IV.

Cic. ad fam. epist. X, 11, 2: lectio tradita
„animaverti nullum alium receptum Antonium . . .
habere nisi in his partibus“
retinenda est.

This book should be returned to
the Library on or before the last date
stamped below.

A fine of five cents a day is incurred
by retaining it beyond the specified
time.

Please return promptly.

DEC -6 1922

L 415
De Sophocle a Romanis liberæ rei p.
Widener Library 005570210



3 2044 085 181 501